POEMATA

VARII

ARGUMENTI,

Partim

E *GEORGIO HERBERTO*

Latinè (utcunque) reddita,

Partim conscripta,

A

WILH. DILLINGHAM, S.T.D.

Cantabrigiensi.

Adscitis etiam aliis aliorum.

Lectorem delectando, paritérque monendo, Hor.

LONDINI,

Typis *E. Flesher.* Prostant apud *R. Royston* Bibliopolam Regium, MDCLXXVIII.

847:98

AD
LECTOREM.

DAmus tibi (amice Lector) Poëmata *quædam* varii *(quod & profitentur)* argumenti. *De quibus profectò nil attinet multa dicere, at nonnihil fortasse plurimum: cùm nè te insalutatum præteriri putes, ad cujus tribunal sisti se jam intelligunt; tum etiam certè, nè, omni præfationis face destituta, non tam in lucem edita, quàm in tenebris exposita esse videantur. Exstitit hoc nostro seculo* Georgius Herbertus, *divitis & sublimis ingenii vir, judicii subacti, eruditionis non vulgaris, at pietatis planè singularis. Is, cùm è familia nobili esset oriundus, literarum studiis se totum tradidit excolendum,* Academiæ Cantabrigiensis *alumnus factus, ejusdémque postmodum Orator publicus: tandem verò in ordinem Sacerdotalem cöoptatus, Pastorale munus in* Ecclesia *nostra* Anglicana, *quoad vixit, administravit. Scripsit is Poëmata quædam sermone* Anglicano, *quæ* Templi *nomine visum est indigitare. Neque sanè id immeritò; in illis siquidem animi sui recessus*

ſus intimos, mentis adyta & penetralia, ipsúmque adeò Spiritûs Sancti Templum reſeravit. Deus bone! Quales inibi motus! quàm docti, nobiles, pii, ac planè divini! Quæ contriti cordis ſuſpiria! qui gemitus columbini! qui mentis conflictus! quæ animi deliquia! tum verò, quæ gaudia! quæ triumphi! quales divini amoris flammæ! quales denique ſupremi Numinis laudationes inibi, ab Autoris pectore expreſſa omnia, non tam leguntur, quàm ab idoneo Lectore inter legendum planè ſentiuntur! Quæ cùm ejuſmodi ſint, ut legentis menti veram pietatem affundere & afflare quodammodo videantur: dolebam certè (pro eo ac debui) rem ità eſſe comparatam, ut exteri omnes, ſermonis genere, quin & noſtrates plerique, (nec indocti) vel rerum vel ſtyli quadam obſcuritate, ab iis legendis arcerentur. Quocirca nonnulla ex iis ſeligenda duxi, quæ verſione liberâ ità demum Latinè *redderem, ut & obſcuris lumen aliquod afferrem, & ſententiam Autoris alicubi dilatarem. Selegi autem ea potiſſimùm, quæ magìs juventuti noſtræ accommoda fore videbantur; ut eorum animi, jucundiſſimâ rerum utilium varietate deliniti, ab Amatoriis cæteriſque morum corruptelis abduci poſſint, Poëſique piæ ac ſalubri paulatim diſcant adſueſcere. His acceſſerunt alia pauca feſtivi magìs ac amœni argumenti. in quibus ſi fortè naturam ſatìs expreſſimus, & nos rem*

acu

acu tetigimus, & habebit Lector quibus possit illæsâ pietate ac modestiâ delectari. Siquidem ut pictura Poësis erit ; *quæ, si spiret, vel aniculæ licèt, delectare solet plurimùm.*

Verùm, quò meliùs constaret volumen, ac eodem planè consilio, adoptavimus aliorum plura, & quidem utriusque generis, nunc certè hinc indè corrogata, at jam olim ferè in lucem edita, si unum, vel etiam alterum fortè excipias ; atque imprimis Æglogas, *à* Cantabrigiensi *aliquo è* Collegio Regali *(ut videtur) superiore seculo conscriptas, nescio an non & antehac editas ; at certè peregrino charactere conscriptas, ac ad me fortè delatas, eas ejusmodi esse facilè deprehendi, quæ cum blattis (quod aiunt) ac tineis rixari minimè mereantur. Verùm hæc omnia, qualiacunque demum fuerint, tui nunc juris & arbitrii sunto. Vale ergò, & fruere.*

Tuus

Febr. 25. 167$\frac{7}{8}$. Wilh. Dillingham.

IMPRIMATUR.

T. Turner.

SYLLABUS
POEMATUM
IN
PARTE PRIMA.

Perirrhanterium, ex Herberti Anglico. Pag. 1
Sacrificium, ex eodem. 24
Providentia, ex eodem. 35
Gryphi, ex eodem. 43
Gaudium, ex eodem. 44
De Moribus puerorum. 45
Suleianum. 56
Campanæ Undelenſes. 60
Avicula πλερυγίζουσα. 65
Sepes Hortenſis. 67
Αὐτόρωφος. 68

IN
PARTE SECUNDA.

Carmen Moſis, *Deut.* 32. *per* A. Melvinum. Pag. 69
Jobi *Capita prima tria, & poſtrema quinque, è Metaphraſi poëtica* J. A. Thuani. 78
Senectutis effigies, ex ejuſdem Metaphr. poëtica Capitis XII. Eccleſiaſtis. 96

Theod.

Theod. Bezæ *Præfatio poëtica in Psal.* Davidis *LI.* 98
Tho. Rhædi *Paraphrasis Psalmi CIIII.* 107
Historia Jonæ, *Carmine paraphr. per* Hug. Grotium. 109
Ejusdem Paraphrasis in tres versus postremos Cap. X. Proph. Jeremiæ. 118
P. Virgilii Maronis (*ut vulgò habetur*) *Moretum.* 120
Cassii Parmensis (Virgilii *æqualis*) Orpheus. 125
M. A. Lucani Scæva, *è Lib. VI.* 126
M. Manilii Perseus *vindex*, *è Lib. V. Astron.* 131
M. Hieron. Vidæ *Cremonensis Scacchia Ludus.* 134
Hippodromus. 155
G. Buchanani *Equus.* 156
Tho. Rhædi *de Arte Typographica Carmen.* 157
Bartassius *de Aquila*, Gabr. Lermæo *Interprete.* 160
Idem de Luscinia, *eodem Interprete.* 163
Fam. Strada *de Luscinia & Fidicine.* 165
Theod. Bezæ Burdinus *moriens.* 167
Ejusdem Tinea. 169
Hug. Grotii *Iter Currûs veliferi.* 171
Ejusdem in Is. Casauboni *Exercitationes* Baron. *Carmen.* 174
D. Erasmi Roter. *de Senectutis incommodis Carmen.* 176
H. Husani *JC^ti Votum.* 184
Incerti Autoris Ægloga tres :
I. Contra Prædicatorum contemptum. 185
II. Querela Collegii Regalis. 192
III. De morte Boneri. 201
Phineæ Fletcheri *Locustæ.* 208
Thomas Morus *in Aulicum* Gallicæ *linguæ affectatorem.* 235
Cum amico quodam importunius ad pocula invitante Expostulatio verecunda. 237

POEMATA

DEPRESSA
RESVRGO

POEMATUM

Varii Argumenti

PARS PRIOR.

PERIRRHANTERIUM.

§ 1.

Tu, pretium cui vena facit, dulcísque juventus,
Et ſpes virtutis præſtans elementa futuræ,
Huc aurem, huc animum: forſan te fingere Verſus
In melius poterit; fuerit ſic eſca voluptas.
Quem non aſſequitur fugientem Concio ſacra,
Forſitan occurrens poterit reperire Camœna,
Atque è deliciis faciat libamina ſacra.

§ 2.

Cura ſit imprimis vitare Libidinis æſtus.
Polluit illa, ſuo lavit quem ſanguine *Chriſtus*.
Illa animis inſcripta tuis dictamina ſacra
Delet, dum menti tenebras offundit inertes.
Quâ tu fronte Deum vel Biblia Sacra tueri
Audes his oculis, queis pagina ſola libido?

§ 3.

In totum abſtineas, aut fias ritè Maritus.
Semita bina patet; conceditur optio: ſic vult

Munificus Dominus. noli per devia ferri.
Accipias placidè quicquid porrexerit ille;
Nèc freme, limitibus quòd sit concluſa libido.
Gaudia habet caſtus. perpendas utraque. tum, ſi
Plura lues habeat, cœlum ſtellâſque remittas.

§ 4.

Si permiſiſſet Deus ut diſcrimine nullo,
In morem pecudum, poſſent impunè coïre
Humanum genus, & latè quácunque vagari;
Indubiè, rebúſque ipſis uſúque magiſtro,
Omni caviſſent ſtudio, legémque tuliſſent,
Libertate vagâ nè poſſet cuncta libido.
Nunc autem, poſtquam certis Deus Optimus undas
Ire jubet ripis, notóſque habitare canales;
Æſtuat infelix, objecta repagula rumpit,
Atque ferox Vermis ſibi vult quodcunque licere.
Monſtrum homo quale foret, propriis permittere votis
Si Deus hunc vellet! certè, perverſa ſecutus,
Mutaret pedibus vultus uſúque locóque.

§ 5.

Pocula prima ſitis, poſcítque ſecunda voluptas;
Tertia virus habent. noli committere venis
Quod ſemel admiſſum nullas exaudit habenas.
Crede mihi, vinum luctator callidus audit,
Supplantans quoſcunque ſemel complectitur. hunc tu,
Si procul abſtineas, facili proſtraveris arte.
Jure luto dederim quod me provolveret illuc,
Ridendum cunctis, calicum ſi pergeret ordo.

§ 6.

Ebrius, indomitam rabiem dum pectore verſat,
Dilaniet forſan prægnantis viſcera matris.
Scilicet, amiſit demens rationis habenas,

Ipſe

Ipſe exſul profugúſque ſui. genus omne malorum
Illabebatur venas intrante *Falerno.*
Ebrius humani generis præſtantia jura
Perdidit infelix, vix brutâ parte ſuperſtes.

§ 7.

Ut placeam alterius læſo madidóque cerebro,
Ipſe meum perdam? mea nec menſura, nec uſus
Illius exæquat corpus, magnâmve lagenam.
Quod tibi delicias, mihi cur tormenta miniſtret?
Poſt cyathos binos vinc'lis conſtringe *Lyæum*;
Immotum firmato pedem, neque cedito. ſi ſis
Ipſe verecundus, vinum ſibi cornua ſumet.

§ 8.

Quòd ſi potores nolint ratione moveri;
Aufugias, illóſque ſuis ſine moribus uti.
Nave ſemel fractâ quis non ſibi conſulit ipſi,
Quà datur effugiens? nec enim evaſiſſe pudebit;
Nec tibi communi profit periiſſe ruinâ.
Dicier humanus tanti eſt, ut bellua fias?
Poſt cyathos binos ſiſtas, ædéſve relinquas.
Divina imprimis vino deletur imago.

§ 9.

Verùm ſeu vino tu, ſive libidine pecces,
Abſit id oſtentes; totam nè prodige frontem;
Neu laudi ducas quod debuit eſſe pudori,
Atque quod infamem te ſtigmate reddit inuſto.
Conſequitur veniam, cujus te pœnitet, error:
Impia ſed commiſſa palàm qui jactitat effrons,
Ille Deo bellum indicit, cœlóque Tonantem
Provocat exiguâ concreto è pulvere glebâ.

§ 10.

Nè temere illius, tua qui ſibi condidit ora,

Uſurpes Nomen, (ſanctum & venerabile Nomen.)
Nil tibi profuerit, prætextum & reſpuit omnem.
Delectant Venus ac Vinum ; lucratur Avarus :
Sed vilis Jurator amat profundere gratis
Faſtiditam animam, (at magnâ mercede redemptam,)
Nec timet armatas violati Numinis iras.
Jurâſſem quamvis *Epicuri* in verba magiſtri,
Et foret in ſummis votis mihi ſola voluptas ;
Attamen hoc vitio facili ratione carerem.

§ 11.

Alterius quoties recitabis dicta jocosè,
Juramenta premas ; ſine queîs conſiſtere verum
Et ſolet ingenium, neque talibus indiget unquam.
Fabellis excerpe ſales, at crimina mitte.
Pomum pelle levat, qui vult ſine ſordibus eſcam.
Tu nè perde joco virtutem Numinis ejus,
Quod ſolum poterit tibi tunc prodeſſe vocanti,
Quum dolor incumbens animos proſtraverit acres.

§ 12.

Plectuntur graviùs, quamvis leviora videntur,
Crimina, quæ promptè poteras vitâſſe, quibúſque
Sufficit ingenium, quamvis exile, notandis.
In tricis apiníſque animam diſperdere noli.
At ſi depereas æternos perditus ignes ;
En latas Erebi portas ! en ſtrata viarum !
Quas in ſublimi devecta ſuperbia curru
Et ſcelera ampla ſuis latè trivêre quadrigis.

Vel,

Gratis commiſſum graviùs plectetur. in illo
Quò minus illecebræ, magis eſt perverſa voluntas,
Tam nihili pendens animam, cœlúmque, Deúmque.
Si te perdendi tibi ſit tam dira cupido ;

En !

En ! hiat inſanùm diductis faucibus Orcus ;
Inſilias præceps. quòd ſi te gurgitis horror
Abſterret refugum, nè cæcis ignibus ultro
Temet devoveas inopinum, aráſque tenentem.

§ 13.

Effuge, ceu barathri fauces, Mendacia quæque ;
Córque Deo fidum, & cordi ſit conſona lingua ;
Neu linguæ aut cordi tua ſint incongrua facta.
Ignavi imbelléſque viri mendacia fingunt,
Et quos plagoſi perterret virga magiſtri.
Mentitur, ſpumáſque vomit, cui turbida mens eſt.
Aude vera loqui ; falſo nihil indiget unquam :
Soláque quæ poterant illo indiguiſſe videri,
Dum celare cupit, duplicat ſibi crimina mendax.

§ 14.

Otia devita, & perdentes tempora Nugas ;
Quas inter blandi ſermones, pecten, amica.
Hiſce diem ſi tu vanè contriveris, (en !) te
Sol repetundarum peraget, luménque repoſcet
Ipſe Deus, non hos conceſſum munus in uſus.
Ille tuæ pulchras animæ donaverat alas,
Alta quibus peteres : illas ignavia plumas
Nè ſine deciduas in lectis mollibus abdat,
Tranſigat ut pluvias nebuloſáque tempora ſomno.

§ 15.

Si tibi Juſtitiæ fuerit commiſſa ſecuris ;
In vitium converte aciem, tolláſque nocentes.
Si te doctorum juvat impalleſcere Chartis ;
Tranſcribas nitidè quæ penè aboleverat ætas,
Et redimas avidi verum de faucibus ævi.
Si te Caſtra tenent ; clarum te fortibus auſis
Tollat humo virtus, noménque reponat in aſtris.

Auſit pulchra modò, (en!) poterit ſibi quiſque parare
Aut vitam famâ illuſtrem, vel nobile fatum.

§ 16.

O gens peccati plena, at pleniſſima turpis,
Anglia, deſidiæ! pituitam fortiter iſtam
Exſpuito, & purum diſtendat gloria pectus.
En! ovium ritu balat generoſa propago,
Ac ſi traxiſſent patriæ contagia lanæ.
Non omnes dico, at bona pars in paſcua miſſi
Veſcuntur loto, patriæque oblivia potant.

§ 17.

Nos ipſi arguimur tantorum cauſa malorum,
Natorum teneros quoniam non fingimus annos,
Ut citò præclaris diſcant adſueſcere rebus.
Arva colunt multi, nocuis dum Filius herbis
Horret, & incultam geſtat ſub pectore mentem.
Perdicis mores hic mirè callet, at idem
In Sobolis propriæ mores inquirere temnit.
Contingat Nato peregrinas viſere terras;
Scilicet, ulterior non tangit cura Parentem.
At tu formandis animis ſtudiiſque tuorum
Anxius advigiles: debes hæc munera proli.
Huc divina parùm quòd ſi te moverit, atqui
Tranſcripta in ſobolem tua ſaltem cogat imago.

§ 18.

Grandia nonnulli Natis patrimonia condunt;
Non animos indunt, tot qui dominentur acervis:
Sic res atque hæres una conduntur in urna.
Aut fingunt molles, queis res vix ſufficit ampla.
Dicito ſi non hæc Paupertas jure vocetur.
Æquè es pauper enim, numeras qui mille talenta,
Si totis tibi mille opus eſt, vivas quibus, atque is

Qui

Qui tantùm quinis gaudet, nec plura requirit.

§ 19.

Sic demum dives fiet tibi Filius, antè
Si mentem huic requie, quàm ciſtam impleveris auro.
Namque facultates, animus ſi deficit æquus,
Contentúſque ſuo, ſublimis vertice montis
Jactandum exponunt, affligendúmque procellis;
Quas ſubterfugiunt valles, humiléſque myricæ.
Quòd ſi ſufficiant hæredi dena talenta,
Quotcunque addideris, theſaurum jure vocabis.

§ 20.

Tu quoties animo quicquam decernis agendum,
(Si licet, & poſſis) quamvis exile videtur,
Planè perficias. firmat Conſtantia mentem;
Præſtat & immotos, ut ſtat *Marpeſia* cautes,
Nos quoties in vinc'la vocat malè-blanda voluptas.
Qui ſibi non conſtat, bene ſed conſulta reſolvit,
Proditor ipſe ſui eſt. Cui rupta eſt anchora ſacra,
Fluctuat æternùm, luiturus naufraga vota.

§ 21.

Fac quæcunque facis geſtúque animóque virili,
Nec bona furaci damnes conamina vultu.
Cæſare teſte geri credas quæcunque parabis.
Te certè videt illius Dominúſque Deúſque.
Monſtrum ſemper alit pudor importunus, amicas
Quod tenebras nactum prodit cum fyrmate longo,
Nec, caput involvens, caudæ jam quæritat umbram.
Qui peccare timet, calcar virtutibus addit.
Qui præſtare bonum metuit, longéque recuſat,
Hujus næ fronti debetur larva tenellæ.

§ 22.

Os cuſtodito: per portam ſcilicet iſtam

Pallentes intrant morbi, & properata senectus,
Nil opus annonæ cumulos in viscera condas:
Vivito securus quid proximus afferat annus.
Sin latrat stomachus, duo sunt munimina præstò;
Convivis partire dapes, aut dicta propina:
Id saltem binis gratum est; hoc, utile cunctis.
Aspiciens epulas cœnum te cernere credas:
(Túque cibúsque tuus cœnum mox nempe futuri)
Frustula tum comedens dic, *Terræ terrea mando.*

§ 23.

Inter morbificos si quis malè perditus haustus
Deridens, è præscripto te vivere dicat;
Fortiter hunc temnas. nam quid non lege movetur,
Si solos tollas homines, enormia monstra?
Ad normam surgunt ædes, respublicæ amussim
Agnoscunt. frustrà Solem de tramite noto
Flectere conaris, digito aut sd ducere cœlos.
His fruitur sociis, vitam cui regula format.

§ 24.

Discinctus, cuicunque sui custodia nulla, est,
Mox diffluxurus glaciem solventibus Austris.
Est homo congeries normarum, & sarcina; cujus
Singula præscriptam agnoscit sibi portio legem.
Nè te discingas, nè affectibus undet habena;
Quum Deus hos dederit tibi clave serâque premendos.

§ 25.

Tecum versari solus quandoque memento;
Alloquiis te compelles, verbísque salutes.
Dispice quæ menti vestes, & qualis amictus;
Audacter cistam inspicias, tua scilicet illa est;
Quæque ibi comperies, volvas licet, atque revolvas.
Cui, nisi consortes nacto bibulósque sodales,

Nulla

Nulla ſubeſt requies, jam conturbavit, & idem
Deſtinat exſilio ſe, ſéque eliminat ipſum.

§ 26.

Sis frugi; verùm nè ſis retinentior æquo.
Debita diſſolvas quæcunque aut poſtulat uſus,
Quæve tuus depoſcit honos, quæ poſcit amicus.
Nunquam certè habuit generoſum lucrio pectus.
Rem fac, quâ vivas; tum partis utere rebus.
Haud aliàs nactus dicaris χρήματα. Vili
Quid lapidi diſtat nummus, ni ſplendeat uſu?

§ 27.

Nè ſuperent unquam tibi vectigalia ſumptus.
Exæquare licet juveni; at provectior ætas
Infrà collimat, cupiat ſi figere metam:
Diminuit ſumptum, ut ſentit decreſcere vitam;
Vanum præſertim, leviori pignore ludens;
Et ſemper ſecum decîdens addit acervo.
Te nati, te cognati, te implorat amicus;
Ante iter inceptum diſponas ordine cuncta.

§ 28.

At dum quæris opes, ſuſpectas ſemper habeto;
Illas dum captas, nè tu capiaris ab illis,
Atque oculis captus haſ ad cætera cæcus.
Eſt aurum dæmon paredrus, quem dum ſibi ſtultus
Inſervire putat, dæmon vafer imperat ipſi.
Aurum contrectes tutó: digitis tamen hærens,
Ceu ferrum candens, penetrabit aduſque medullas.

§ 29.

Quid refert an te lapidum, vel ſacculus auri
Demergens ſuffocet aquis? Caput erige in altum, &
Accipe pro nummis ſtellas; quas enumerare
Arte vales nullâ, at poteris virtute parare.

Nulla

Nulla trahace magis decoctrix fœmina, nummo
Uno quæ vendit famam, requiémque, animámque.

§ 30.

Omnino caveas nè confles æs alienum.
Menſuram cognoſce tuam. Cui non ſatis amplus
Vicenæ libræ reditus, certè neque centum.
Verna voluptati eſt; & Res, quæ non ſibi vitæ
Sufficit in ſumptus, fruges conſumere nata.
Ecce, nepos laxam veſtem ſibi fabricat, ipſi
Ignoſcens, Sartor quod non impunè tuliſſet.

§ 31.

Speratis nè fide opibus, ſortíve futuræ
Præſentes æqua ſumptus. Qui veſte petace
Fortunæ procus eſſe volet, virtutibus orbus
Ac meritis, ſperat fabellis addere poſſe
Juramenta fidem. Sic nempe & navis inanis
Prætendit levibus prægnantia carbaſa ventis.
Hoc aulæ aſſueti nôrunt. quin ſic iter ergò
Ingredere, ut parili poſſis abſolvere curſu.

§ 32.

Concinnus parvo conſtans laudatur amictus.
Res eſt culta magis Prudentia, quàm tibi quicquid
Ulla, inſtructa licèt, poterit præſtare taberna;
Non *Phryzie* veſtes æquè, non inſtita dives.
Nullus cultus abeſt, ſi ſit Prudentia, præ qua
Argentum pallet, rubet aurum in veſte videri.
Scilicet eſt cura affectata procatio jugis,
Ambit quæ nihilum grandi longóque labore;
Stultitia inſignis multùm meditata, diúque.

§ 33.

Lude voluptatis, non lucri ductus amore.
Quiſquis enim ludit majori pignore quàm quo

Fronte

Fronte carere poteſt lætâ, cor ille ſuúmque,
Forſan & uxoris ſoboliſque paciſcitur unâ.
Quin ſervi, quin templa illo diſcrimine ludunt.
Ex hoc naufragio & triſti nil funere reſtat,
Ni gentilitium nomen ſcutúmque ſuperſtes
Confractum teneant templi fortaſſe feneſtra.

§ 34.

At tibi ſi ludus pretio non diſplicet iſto,
Diſce hoc, quod magno veteranis conſtitit olim:
Alea ſeu damnoſa fuit, ſeu proſpera, ſurge;
Dum redimis damnum, nè tu perdaris & ipſe.
Eſt ludus pulvis pyrius, qui tempore pacis
Unâ ſubvertit dominóſque domóſque ruinâ.

§ 35.

Regnat in humana mirè fidentia vita.
Verùm, crede mihi, tam ſtultum nil fuit unquam,
Quàm vacua, & merito ſuffulta audacia nullo.
Quin ſolido veróque bono priùs imbue pectus,
Téque deaurabit fiducia conſcia recti.
Macte animo & virtute tuâ, *jam* nobilis heros!

§ 36.

Sis blandus cunctis. ſi ſis moroſior ipſe,
Sint tales ſocii; ſit ſerva, ſit uxor acerba:
Horum ut convictu tandem miteſcere diſcas.
Sic poma auſterum ponunt, ac mitia fiunt,
Poſtquam in cognato malum ſudavit acervo.
Sic adamas adamanta polit: titubare ſuëtus
Sic & equus rarò impingit ſalebroſa per arva.
Sis princeps dúxque ipſe tui. Feliciter ille
Militiam vitæ novit, cui militat omnis
Affectus, ſequitúrque ducem quócunque vocantem.

§ 37.

§ 37.

Nè Lites ambi, pugnæ aut captaveris anſas ;
Nec timidi nomen metuas : hoc ille meretur
Qui verum proferre timet, vel dicta reſorbet,
Strangulat & medio naſcentia verba palato.
Néve tuam famam, quòd quis te vellicat, iri
Diſruptam credas. Magnis, te poſſe minora,
Oſtendas factis ; at erit prudentia nolle :
Quin & magnanimus tali moderamine fies.

§ 38.

Si tua fama levi eſt quovis lacerabilis ictu ;
Illa quidem cerebri tela eſt tenuiſſima vani
Atque venenoſi. Non tali è ſtamine quondam
Heroüm conſtabat honos, qui, vulnera paſſus
Multa licèt, ſeros duravit aduſque nepotes.
Delige prudenter cum queis verſeris amicos ;
Hos tractes tolerésque ſimul civiliter uſu :
Nec jocus obfuerit famæ, ſi eluſeris arte.

§ 39.

Nè fis immodicus petulanti ſplene cachinno.
Ingenio pollens ridebit rarjùs ipſe ;
Eſt ignoranti nova namque facetia ſoli.
At tua vel minimè ride ; nè tu quoque ludi
Pars fias, ipſis etiam ridendus amicis.
Nè turpem captes alieno ex ulcere ludum.
Paſta ſimo ſimilem contraxit muſca colorem.

§ 40.

Quin evelle jocis, lapides velut eximis arvo,
Obſcœnum quicquid, quicquid redolétve profanum,
Quotquot & alterius lædunt dicteria famam.
Potida ſunt iſthæc cerebri purgamina craſſi ;
Quæ fugit ingenium ſubtile, carétque libenter,

Nec

Nec tamen interea quidquam deperdit acuti.
Eſt res quæque joco prægnans, pariátque facetum,
Obſtetricantem ſi quis cognoverit artem.

§ 41.

Ingenium eſt effrænis equus, renuénſque domari,
Qui temere nunc hos, nunc calcibus impetit illos,
Non domino parcens, venerans aut nomen amici.
Hoc ſi fortè vales, nè plùs indulſeris æquo,
Néve ſaginâris fatuo complexus amore;
Nec, ſi fortè cares, nimio mercabere. Multi
Ingenii laudem, quibus hanc natura negavit,
Vanè affectantes, fiunt ludibria vulgi.

§ 42.

Prudens ac triſtis virtus eſt unica verè
Martia temperies; quæ fulminat agmina ducens
Prima per hoſtiles acies, ac devorat urbes.
Nempe cachinnator virgo eſt lactaria, quem vel
Contages fugat à cantu, aut ſpecularius ignis.
Tunc ille ingenii eſt incus, ac meta jocorum:
Tunc ejus vir triſtis amat ridere timores,
Déque jocis cunctis lætos celebrare triumphos.

§ 43.

Magnates, ſi quando adeas, fidenter adito,
Summiſſéque ſimul, meritos ac defer honores:
Debita ſic reddes, neque te fraudaveris ipſum.
Fortunam ſervus fingit ſibi quiſque perinde
Sedulus ac fuerit, ſegníſve in rebus agundis.
Nunquam aſſentando vitiis alimenta miniſtres.
Quiſquis adulatur, certè is, cacodæmonis inſtar,
Illex peccati eſt, hæres dibaphúſque gehennæ.

§ 44.

Magnati nulli invideas, quòd ſis minor illo:

Sic

Sic te pejorem faceres, ac uſque minorem.
Nè tibi ſis vermis, tua nec tibi viſcera rodas.
Verùm profuerit multùm mens æmula laudis,
Dum nulli lædens calcar virtutibus addit.
Auferet eis virus, dederíſque affectibus alas;
Victricémque trahent cœli ad capitolia mentem.

§ 45.

Evecti ut fuerint viles ad munera celſa,
Munera non ideo juſto fraudabis honore,
Quem non jumento defers, vecto at ſimulacro.
Quid refert ex quo fiat regale ſigillum?
Aut in qua cera Regis ſignetur imago?
Ex auro fuerit nummus, ſive ære, perinde eſt:
Cæſarei vultus legem tribuêre metallo.
Quin & honore pari mihi ſtragula Regis habetur,
Sive aulæa ſuperba ſiet, ſeu vile tapetum.

§ 46.

Conde ſinu, verum fueris quum nactus amicum;
Inque tuo illius verſentur lumina corde,
Luſtratura ipſis quæ ſunt abſcondita fibris.
Pro tali ſtabis, ſi res expoſcat, ad aras;
Illiúſque tuo redimenda eſt ſanguine vita.
Vera at amicitiæ ratio nunc exſulat orbe,
Quam *Jonathæ* exhibuit *David*, *Chriſtúſque Johanni*.

§ 47.

At præs nè fias, natorum ſi pater audis.
Debitum amicitiæ ſolos pertingit amicos,
Non unà involvens natos, ſeróſque nepotes.
Nec donare tibi, quæ ſunt his debita, poſſum;
Nec tu jure potes, quamvis donata, tenere.
Quin utrique mori potiùs debemus amici,
Innocuis omnem quàm ſic præcludere vitam.

Naturæ

Naturæ ſeſe priùs obſtrinxêre parentes,
Atque dedêre vades, quàm ſponſio fiat amicis.

§ 48.

Si fueris cœlebs, poteris concedere amori
Fortunas omnes, nec plus tamen omnibus: una
Vita ſat eſt, unus cenſus. nam nemo tenetur
Alterius causâ nummum ſudore mereri,
Qui ſtultè induerit ſibi vincula neſcia ſolvi.
Unum me natura facit; ſed me neque plures
Reddit amor: reddat tamen imprudentia plures;
Si rebus nudus duro premar uſque labore,
Qui mihi détque cibos, & amici debita ſolvat.

§ 49.

Demulcere cupis placidis ſermonibus aures?
Sit ſermo blandus, novus, utiliš, atque facetus.
Utile dat ſtudium; facilis dat vena lepores;
Curia blanditias; novitas ex urbe petatur.
Inſtrue te cunctis; tunc illa apponito menſæ,
Quæ convivantis nôſti arridere palato.

§ 50.

Si cuique elicias dextre quod noveris illi
Perſpectum, gratum facies illíque tibíque:
Is laudem ingenii tulerit, tu plurima diſces.
(At tumida ardentes inſcitia colliget iras,
Nè cuivis pateat quàm ſit ſibi curta ſupellex.)
Reſponſum illius, quærendi feceris anſam.
Qui dextre ac ſcitè dubium ciet, ille loquentem
Obſtringítque ſibi, propriis & parcit acervis.

§ 51.

Sermonis primæ partes ſi ſint tibi, totum
Nè ſimul atque ſemel theſaurum prodige; verùm
Frugi ſis, aliiſque vices concede loquendi.

Nec

Nec tua prævertat reliquos profusio, nec te;
Ac si testator profectres ultima verba,
Et formidares nè, quæ non dicta, perirent.
Non magis, urbanus sermones vendicat omnes,
Omnia quàm solus bellaria devorat hospes.

§ 52.

Discepta placidé: errorem vehementia crimen
Reddit, inurbanúmque facit peramabile verum.
Cur magis afficerent errores nos alieni,
Quàm morbi, aut duris urgens in rebus egestas?
Hoc equidem deposcit amor, tangíque dolore
Nos majore jubet, quò perniciotior error
Morbo, aut pauperie. verùm non concitat iram
Aut amor, aut certè prudentia. lenia discas.

§ 53.

Profuerit multùm tibi mens tranquilla. frementem
Dum finis immotus, tu te calefeceris ipsum
Illius flammis, ejúsque errata notabis,
Pérque fruêre irâ. Cautus gnarúsque lanista
Pugnacem patitur se delassare calorem.
Verum non habitat nubes. qui cernitur isthîc
Arcus, collimat, sed nunquam percutit astra.

§ 54.

Attende alterius dictis, nè forsitan, illi
Respondere voiens, tua tantùm sensa reponas.
Omnia comprênde, & quicquid rationis in illis
Comparet, justo trutines examine: tum, si
A socio steterit verum, te adjunxeris ipsis.
Si verum agnoscis convictus, vincitis ambo:
Is profligavit falsum; veri ipse potiris,
Atque triumphalem poteris conscendere currum.

§ 55.

§ 55.

Fac prosis cunctis cum queis versaris; ut illi
Absentem doleant, illisque optabilis adsis.
Hoc facilè efficient obeunt qui munera celsa,
Ingenio prompto qui sunt, animóque benigno.
Indigeat quo quis, vel quæ vehementiùs optat,
Explora; sic multa accedet gratia donis.
Hoc unum superat terrestria gaudia cuncta;
Quod tibi percipies, si cui beneferis apté.

§ 56.

Te gere submisse, propone at magna gerenda:
Sic humilis celsam mens temperet, atque vicissim.
(Nempe gravem poscunt ingentia vela saburram.)
Nè reptes animo. jaculabitur altiùs ille
Cui scopus est astrum, quàm cui de cespite meta.
Mens humilis, modico commisto laudis amore,
Ardentémque febrim fugat, & gelidum lethargum.

§ 57.

Perpetuò intendas animum, sempérque revolvas
Tecum, quóque loco, quo puncto temporis apto,
Quóque modo optatam possis contingere metam.
Segnities vermes parit: ast iter impiger urget,
Desiliat quamvis ab equo quandoque, viator.
Vitam agit is solus, rebus qui incumbit agendis.
Hic situs est Titius, reliquis inscribere possis.

§ 58.

Nè flocci facias, quamvis exilia, damna,
Sive amor indè tui quicquam decrescit, honórve.
Subductâ ratione puta quæcunque geruntur.
Instar solaris radii loca singula lustres,
Dispiciens numquid fidei decoxeris usquam;
An salvam retines aliquo cum fœnore sortem.

Non curo, dicens, mihi conclamatus habetur :
Nec pretium eſt operæ tali monſtrare decorum.

§ 59.

Nè cujus, tenuis licèt, aſperneris amorem ;
(Namque amor eſt donum ſummo vel *Cæſare* dignum.)
Nedum tu tibi quenquam inimicum feceris ultro.
Non ſolùm catapulta necat, ſed parvula funda ;
Túque feras vilis pretium non vile furoris.
Certè opifex prudens, aliquando quod utile fiet,
Nullum inſtrumentum, quamvis ſit vile, recuſat.

§ 60.

Huc peregrina redit prudentia, nec ſapit ultrà ;
Accipe quæ gratis dantur, gratúſque repende.
Seu tibi divitias, vel amorem, aut verba benigna
Exhibeat quiſquam, læto omnia ſuſcipe vultu ;
Inque ſinu condas : memori tum pectore ſervans,
Quà licet, & poſſis urbanè, æqualia reddas ;
Nec quicquam cuiquam debebis, præter amorem.

§ 61.

Ingenitúmque tuere bonum, peregrináque cuncta
Quæ bona ſunt menti inſerito, ac dones velut urbe.
At mala contemnas. Gnavum amplexare vigorem ;
Sed non & vanos quos gens habet extera mores.
Quiſquis delectu ſequitur quæque obvia nullo,
Ille ſuum arbitrium, rationis & abdicat uſum.
Qui peregrinorum mores imitabitur omnes,
Mente erit emotus, patriæque domeſticus exſul.

§ 62.

Munditiem in cunctis adfectes ; rebus at illis
Imprimis adſit, quarum eſt vicinior uſus ;
Ut te amplexetur, qui novit, quiſque libenter,
Non aliter quàm ſi ſpirantem cinnama florem.

Anticipat

Anticipat ſordes immundus quiſque ſepulchri:
Ultima per totam vitam ſic vivitur hora.
Mens tibi culta ſiet pulchrâ virtute; nitore
Imbuat & ſimili corpus, veſtémque, domúmque.

§ 63.

Elargiturus perpendas ſæpe tuúſque
Quid patitur cenſus, quid pauperis exigit uſus.
Nè tibi tantilli fuerint cœleſtia regna,
Ut ſperes vili ſumptu tibi poſſe parari.
Junge Deo ſocias operas, ejúſque tuóque ut
Munere poſſit homo vitalem ducere vitam.
Da cunctis aliquid. ſi quis paupérque bonúſque,
Huic dones donec fias paupérque bonúſque.
Des tamen & reliquis, neque te fraudaveris ipſum.

§ 64.

Eſt Homo imago Dei, *Chriſti* quoque Pauper: utrumque
Te ſimul impellat. Deus eſt pro paupere ſponſor.
Quod dederis, Deus ipſe ſuis rationibus infert.
Tu refer in tabulas ejus cum nomine ſummam.
Tot donata Deo, ſcribe, & *totidem altera* ſcribe;
Nomina is expediet, ſortem cum fœnore reddens.
Quin Eleemoſynas præmittito ad atria cœli,
Ut tibi venturo cœleſtia limina pandant:
Tardior, occluſis foribus, nè fortè venires;
Ac ingrata forent tua, non tua, poſthuma dona.

§ 65.

Redde Deo Decimas, & debita Tempora ſacra.
Surreptæ Decimæ totum furantur acervum;
Atque agnus decimus, fuerit ſi fraude retentus,
Fit lupus, ac tandem totum populatur ovile.
Quin Domini celebrato diem. Tibi claſſica ſacra
Quum campana canit, cœli hæc modulamina credas,

Angelicum motura chorum ; neque tardior adſis.
Tunc nempe Omnipotens cœli donaria ſpargit,
Miſſilibúſque animas hominum cœleſtibus implet.
Hoc Rex ſi faceret, quis non feſtinus adiret ?
Imò, ut vel videat, non magno optaverit emptum ?

§ 66.

Illo ut quiſque die bis limina ſacra frequentet,
Biſque preces fundat, bis Verbo commodet aurem,
Jure Deus poſcat, jure exſpectaverit ; ut qui
Bis tibi quoque die dignatur ſternere menſam.
Nunc, quia lauta magis tibi dat, bellaria temnis ?
Quàm non grata Deo ſunt hæc faſtidia ! quæque
Ni caveas, animæ forſan jactura ſequetur :
Si caveas, poſſis epulis accumbere cœli.
Nè tu perversè Dominóque Deóque repugnes ;
Nec mediis dapibus morosè abſtemius eſto.
Jejunare aliàs tibi proderit ; hîc tibi damno eſt.

§ 67.

Quanquam privatis Precibus ſua plurima laus eſt ;
Pluribus at gaudent promiſſis publica vota,
Plus & amoris habent : & quid non cedit amori ?
Ille rotis animæ pondúſque oleúmque miniſtrat,
Ille oculis ſignum.
Heu ! nimiùm frigent nobis præcordia cunctis,
Atque preces. Solis obrepunt frigora ; verùm
Plurima flammiferos præbebit pruna calores.
Accede ut caleas. Senis quiniſque relictis,
Pluribus adjungas teipſum : junctâque phalange
Oremus. Cœlum eſt, ubi maxima turma precantûm.

§ 68.

Pes tuus ut primùm ſacras intraverit ædes,
Eſto caput nudus. Deus eſt præſentior illic

Quàm

Quàm tu, permiſſu illius qui limina calcas.
Quin caveas, totus timor & reverentia fias.
In terra poſuiſſe genu, non obfuit unquam;
Indè nec ullius corrupta eſt ſerica veſtis.
Deprime te. cunctos exæquat janua templi.

§ 69.

Concio ſacra frequentetur: ſed maxima cura
Eſto Precum; namque his inſervit Concio ſacra,
Dum pia thura parat, ſacros & ſuſcitat ignes.
Exornes citò te, nec ſpinula ſera moretur;
Gaudia nè perdas nullis redimenda talentis.
Omnia ſubſannans bona ſic tibi ſurripit Orcus,
Dum, veſte accinctâ, ſine cultu laxáque mens eſt.

§ 70.

Tempore Divini cultûs occlude ſigillo,
In cor demittens, oculos, ut crimina noſcant,
Et luſtrent lacrymis, ſi quem fecêre reatum:
Pérque aurem his clauſis intrabunt cuncta feneſtris.
In mediis ſacris ſi quis ſpectare nitores
Gaudeat, alterius formâ fit ſqualidus ipſe.

§ 71.

Illinc mens vana, & curæ procul eſte profanæ:
Conſilia aut ſtivas nè tecum adduxeris illuc;
Atque voluptates blandæ procul indè faceſſant.
Ut *Chriſtus* Templum, ſic tu præcordia purga.
Mundanæ curæ effocant meditamina ſancta.
Et cor ſubducunt Sacris, haud omine fauſto.
Ejicito hos fures templis, & plecte flagellis.
Hìc quid agis caveas: Cœlum eſt, vel Tartara, Tem-

§ 72. (plum.

Præconem ſacrum nè mens tua judicet unquam.
Judex ille tibi eſt, tibi pulpita ſacra tribunal.

Si tibi non placeat, non rectè intelligis ipſum.
Stultitia ipſa Deo ſi concio ſacra vocatur,
Nè tamen iccirco ſpernas; aurúmve graveris
Accipere obryzum, quod dat tibi fictilis urna.
Fert aliquid tibi quiſque boni, vel peſſimus. atqui
Si nihil attulerit, ſenſu deſertus ab omni,
Ecce, Deus thema proponens tibi prædicat ipſe,
Téque docet quid vis poſthac tolerare moleſti.

§ 73.

Qui didicêre pati, quibus & Benedictio ceſſit
In lucrum, quâ Præco ſolet donare popellum,
Quâque coronat opus, certè hi lucrantur abunde.
Qui templo præſens, in quam cecidêre ſodales,
Devitat foveam, multum lucratur & ille.
Quiſquis amat ſacras in terris Numinis Ædes,
Atque ibi cum Sanctis commercia ſacra frequentat,
Ille Dei quondam cœleſtes incolet arces,
Cœleſtíque choro miſtus fulgebit in ævum.

§ 74.

Nè perſtringe joco Divini verba Miniſtri,
Protulerit ſi fortè minùs quandoque decora.
Illius fortaſſe tuo debebitur error:
Quin ergò veſtrî amborum peccata fatere.
Sit licèt ille malus, Deus at quum miſerit ipſum,
Legato, Domini vel nomine, defer honorem.
Nec proba rejicias cujuſquam pharmaca; cùm ſit
Idem vir quandoque malus, medicúſque peritus.

§ 75.

Tam grave ſupplicium nulli experientur in Orco,
Quàm qui magna Dei conſulta viámque ſalutis
Excipiunt ſannis. Poterunt quæ emplaſtra mederi
Illis, quos oleum perimit, quos balſama perdunt?

Hi

Hi totum potant *Phlegethonta*, merámque gehennam.
Judei tonitru, majeſtatémque verendam,
Quâ Lex prolata eſt, tremebundi ferre nequibant.
Nos Evangelium, quoniam terrore remoto,
Et ſine verborum pompa producitur, (ecce)
Stultitiam veluti contemnimus, impia turba.
Nos utrinque Deus quamvis conſepſerit, eheu!
Ille quotuſquiſque eſt, didicit qui vivere ſanctè?

§ 76.

Veſpera tranſacti reputaverit acta diei;
Manè & proſpiciat quodcunque incumbit agendum.
Tu tibi concinnes animam, tum diſcute rurſus.
Hæc an marceſcat, vigeátne hæc, diſpice ſolers.
Unoquoque die languentem intendito mentem,
Automati quo more ſoles intendere nervum,
Quod tibi, nè furtim te fallant, indicat horas.
Cúmque proculdubio ſis Judicis ante tribunal
Siſtendus ſummi, rationes confice totas,
Lætus ut exſpectes venturi Judicis ora. At
Eccum pro foribus nobis; jam jámque propinquat.

§ 77.

Denique, (nam breviter dicam) fac ſplendida, perſta,
Téque virum præſtes. abeuntia gaudia ſpecta,
Atque voluptates à tergo conſpice fœdo;
Non facie blandè molli, vel fronte decorâ.
Quæ facienda monet virtus, nè differ in horam.
Exiguam vitæ ſummam nè reddito longam,
Spe vanâ teipſum lactans, nugíſque fatigans.
Quæ ſunt orta malis, fugiunt citò gaudia, factis:
Sed tamen uſque dolor manet, æternúmque manebit.
Rectè factorum, è contrà, ceſſante labore,
Durat in æternum non interitura voluptas.

SACRIFICIUM.

§ 1.

O Qui, præteriens, noſtri monumenta doloris
Non legis, hîc cæcus, quamvis ad cætera acutus
Mente oculóque ſatis, Me ſolum cernere non vis,
Non Me, qui, quò te reperirem, lumina ſumpſi.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 2.

Ecce! mei populi Proceres coïêre furentes,
Vímque ſuo faciunt Factori, turba rebellis;
Méque mori cupiunt, quo ſcilicet auſpice vivunt.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 3.

Qui nunc inſultat capto mihi quiſque ſuperbè,
Me ſine *Niliacæ* manſiſſet vernula terræ.
A me donata, eſt in me converſa poteſtas.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 4.

Ille meus loculos qui geſſit Apoſtolus, etſi
Is mea cuncta habuit, vel Me quoque vendidit ipſum
Perfidus, & Dominum juvat inſeruiſſe crumenæ.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 5.

Me nummis tantùm ter denis æſtimat idem,
Qui ter centenis unguentum nuper habebat:
At quantum ſuperat fragrans mea victima nardum?
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 6.

Liquitur ergò anima, & guttæ de corde cruentæ

In

In numerum ſtillant, vocum menſura mearum.
O Deus, O Pater alme, tuus Te Filius orat,
Tranſeat iſte calix, ni ſit Tua fixa voluntas.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 7.

Hæ, peccatoris commixtæ fletibus, Orbi
Sufficiunt toti medicantia balſama, guttæ;
Balſama, quæ ſanant quævis, niſi vulnera noſtra.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 8.

Diſcipulis vacat interea dormire; nec horam
Advigilant, aut alloquiis ſolatia præſtant:
Doctrinæque adeò fiunt opprobria noſtræ.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 9.

Surgitis? en! veniunt; venit in me turba ruentûm.
Heu! ut ſe perdant quæ feſtinatio tanta?
Quàm juvat inſanos laternis quærere Solem!
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 10.

Fuſtibus & baculis armantur, méque requirunt
Tanquam latronem, qui nullum fallere novi;
Qui via ſum veri, certæ via vera ſalutis,
Hoſtes inque ipſos fidiſſima pectora geſſi.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 11.

Falſa tuo Domino ſic libas oſcula, *Juda?*
Qui ſum verus amor, me teſſera prodit amantûm?
Tam prope quî poteras Cœlum ſpirantia labra
Tu Barathrum reperire, necémque in limine vitæ?
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 12.

§ 12.

Ecce ut me prêndunt miſeri, retinéntque furoris,
Non fidei, manibus. tamen horum immitia juſſu
Vincula nunc patior, quibus olim vincula ſolvi.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 13.

Omnes Diſcipuli Domino fugêre relicto;
Et mihi quos conjunxit amor, timor abſtulit omnes.
Hi Stellam liquêre, Magos quæ traxerat olim,
Dum jubar inſolitum mirantur, Solis ab ortu.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 14.

Nunc hoc, nunc illo coram Primate revinctum
Me ducunt, ſiſtúntque: meam de crimine falſi
Doctrinam incuſant; quamvis hæc falſa refellat.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 15.

Teſtes Sacrifici & Primates quærere falſos
In me nunc ſatagunt; qui non defendere charam
Contendo vitam, verùm mitiſſimus Agnus
Ultro devoveor magnæ nova victima Paſchæ.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 16.

Inventi ſunt qui dicunt, me dicere quondam
Templa Dei me poſſe ſuis miſcere ruinis;
Erigere indè tribus rurſus quoque poſſe diebus.
Non dixi; at plus Ille poteſt, qui condidit Orbem.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 17.

Deinde mihi læſum Numen blaſphemáque dicta
Objectant, ſolùm quia me (quod res erat ipſa)
Eſſe Deum dixi, verum de Numine Numen.

Idque

Idque probè novi fuerit quàm nulla rapina.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 18.

Tunc me cunctorum ſententia damnat iniqua;
Addicítque idem morti me ſpiritus oris,
Illis quoque die quem dono. Primus *Adamo*
Halitus infuſus ſic nempe rependitur. Eheu!
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 19.

Me vinctum ſiſtunt *Herodi*; protinus ille
Pilato vinctum mittit. mea vincula binos
Conjunxêre priùs diſcordes. Scilicet hoſtes
Tam facilè in noſtram conſpiravêre ruinam.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 20.

Me ludos facit *Herodes*, ejúſque cohortes;
Qui cunctas bellare manus, & cernere ferro
Edoceo, idem exercituum Dominúſque Deúſque.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 21.

Dum ſedet *Herodes*, ſto ſupplex ante tribunal,
(Cui thronus eſt Cœlum) rigidóque examine libror.
Huic ego morigeror magni moderator Olympi.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 22.

Mente venenatâ *Judæi* crimina fingunt,
Manſuetum rabie certantes vincere; lites
(En!) quærunt mecum, qui ſolus reddo beatos.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 23.

Nil ego reſponſo patiens, cupiénſque probare
Saxea corda meo ſi forſan amore liquentur.

Quis

Quis ſtudet aſt aquilam tenerâ captare columbâ?
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 24.

Horum clamores auxêre ſilentia noſtra:
Ergò ſinum repetit pennâ ſtridente columba,
Quòd maris inſani nondum deſæviit unda.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 25.

Auſculta ut clamant, *Damnatum tollito Jeſum,*
Inque crucem rapias, indignum lumine vitæ:
Qui tamen æternam nequeo non vivere vitam.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 26.

Pilatus, quamvis nullo me ſanguine tangat,
En! refugit; chari noſtræ dum gentis alumni
(O furor!) ingeminant, *Hunc tollito, tollito Jeſum.*
Tam rudibus læſus clamoribus horruit æther;
Invitè aſſonuit ſceleratis vocibus Echo,
Atque profanati gemuerunt mœnia Templi.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 27.

Durat adhuc clamor, creſcítque furoribus auctus.
Obturant aures, ad noſtra pericula ſurdi:
Parcentéſque ſuis, non noſtris auribus, ecce,
Ut proprio noſtram reputant in crimine vitam,
Atque metus inter numerant, causáſque timorum!
Ergò illi caput ínque ſuum, caput ínque nepotum
Contendunt noſtrum votis inferre cruorem.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 28.

Omnia pervertit mala mens, tingítque veneno.
Qui rectè exoptant conſpergi ſanguine noſtro,

Non

Non magis appositè possunt optare salutem.
Hi tamen his verbis admiscent nigra venena,
Innocuísque sonis ipsis sibi dira precantur.
Unquámne huic nostro similis dolor?

§ 29.

Unanimésque petunt homicidam absolvere pœnis.
Nec mirum; propriis veniam cervicibus orant,
Perditum eunt nostram simili qui crimine vitam.
Unquámne huic nostro similis dolor?

§ 30.

Idem seditionis erat sceleratus & autor;
Pacis ego at Princeps: Pacis, quæ scilicet omnem
Plùs superat captum, quàm vitrum fulgor Olympi.
Unquámne huic nostro similis dolor?

§ 31.

Non ego Rex illis, at *Cæsar*. scilicet ille
Fissâ rupe dedit quondam sitientibus undam.
Tristis at experior, non saxea corda fidisse.
Unquámne huic nostro similis dolor?

§ 32.

Oh, ut me flagris cædunt! duplicátque flagelli
Vulnera mollities quovis lacerabilis ictu.
Vulnera sed quævis horum mens vincit acerba,
Atque dolorificum plagis infundit acetum.
Unquámne huic nostro similis dolor?

§ 33.

Me pugnis cædunt, colaphos mî impingere gaudent,
Qui terrámque meo complector & æthera pugno;
Cúmque libet certâ libro mea fulmina dextrâ.
Unquámne huic nostro similis dolor?

§ 34.

Contemptim pingui nunc conspuor (ecce) saliyâ,

Qui

Qui cæco nuper dederam ſputamine viſum,
Hoſtibus atque meis illius lumina cæca
Liqui; nox quorum menti nunc incubat atra.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 35.

Tum mihi Divinos pergunt obnubere vultus.
Cùm mea, tum *Moſis* facies velata remanſit;
Nè fortè irradient dibaphas caligine mentes.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 36.

Me ſervi & viles ludunt; juvat eſſe facetos.
Vaticinare manus quæ te percuſſerit, aiunt:
Efficiúntque ſibi ut reſtet miſeratio nulla,
Quam ſibi præcludunt in noſtro vulnere læti.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 37.

Sed nunc ad mortem trador; quam quiſque requirit,
Exſpiraturâ veluti ſic voce laceſſens,
Ac ſi morte ſuâ cuperet prævertere noſtram.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 38.

Nil mihi nunc proſunt lacrymæ; parcatis, amici:
Jam pro me & vobis (vobis nictantibus) ipſe
Effudi lacrymas, rubro de ſanguine guttas.
Quin veſtras veſtris rebus ſervate futuris.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 39.

Me armati juvenes deinde ad Prætoria ducunt.
Excipior ſannis; fio ludibria vulgi:
Quamvis Angelicas legiones voce citare
Poſſem bis ſenas, ac ad mea juſſa paratas.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 40.

§ 40.

Dein mihi coccineam gaudent inducere veſtem.
Sanguinis ecce mei ſignum ; qui ſcilicet unus
Humani generis poterat ſarcire ruinam.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 41.

At caput interea cingit ſpinoſa corona.
Nempe *Sion* alias nullas mihi protulit uvas ;
Vitem ibi plantârim quamvis, crebróque rigârim.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 42.

In caput (ecce) meum recidit maledictio magna,
Quâ terræ Deus ob crimen maledixit *Adami*.
Hanc terræ demptam totam in mea tempora ſumpſi.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 43.

Ridiculo mihi pro ſceptro donatur arundo.
Tum caput hâc feriunt, è quo, ceu rupe perenni,
Omnia perpetuò manant cœleſtia dona.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 44.

Dein genua inflectunt, ac me pro Rege ſalutant ;
Omnia ridiculé. Quicquid vel ſcommata ſpurca,
Vel ſannæ poſſunt, fio ſentina malorum.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 45.

Quum tamen ut fragiles calami terreſtria ſceptra,
Sanguineæ veſtes, è ſpinis ſíntque coronæ ;
Verus ego illorum converto in ſeria ludum.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 46.

Quinetiam miles faciem nunc conſpuit illam,

Quam

Quam (licèt id cuperent) non conſpexêre Prophetæ ;
Tanta nec Angelicis (quamvis ardentibus olim
Optarent votis) conceſſa eſt gratia turmis.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 47.

Talibus ornatum ſpoliis me oſtendere turbæ :
Qui *Crucifige* ſuum magnis clamoribus urgent.
En ! hominum ad peccata ſilet Deus : heu ! tamen in me
Exclamant homines, animáſque in vulnere ponunt.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 48.

Quin iterum ſemel (ecce) intrò ad Prætoria ducor :
Perſonâ exutus, proprióque indutus amictu,
Rurſus producor. Cujus virtute fugantur
Tartarei fratres, nunc huc, nunc pellitur illuc
Humanis manibus, pilulæ ludentis imago.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 49.

Defeſſi at tandem luſu, & fera corda volentes
Exſaturare odiis, & in unum ſtringere cuncta,
Damnoſúmque ſibi reputantes vivere noſtrum,
Ad Crucis infamem truncum me ducere pergunt.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 50.

Ecce, Crucem geſto ipſe meam, dum languida membra
Sufficiunt vires : exhauſto at corpore pœnis,
Vix ego ſucciduo ſuſtento poplite greſſus.
Ergò illam invitum cogunt portare *Simonem*,
Geſtandam cunctis Sanctis mortalibus olim.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 51.

O quicunque ſies hàc qui veſtigia flectis,

Huc

Huc oculos adverte tuos. Ex arbore fructus
Tollit homo; ſed ego, en! lignum conſcendere cogor;
Lignum aliis vitæ, ſoli mihi mortis acerbæ.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 52.

Peccata (en) portans, ſuperant quæ pondere terras,
Hic ego funeſtâ diſtentus in arbore pendeo,
Ut redimam pretio majore quod antè creavi.
Factus erat verbo, at redimendus ſanguine mundus.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 53.

Quin & torminibus tantis, tantóque dolore,
Quantum homo peccator ſi quis ſentire valeret,
Partem ejúſve ſuam, genibus procumbere flexis
Vellet humi, nec abinde priùs conſurgere, donec
Totus diffluëret, totus licèt ex adamante.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 54.

Mi Deus, heu! *quianam Tu me nunc deſeris*, almum
Dilectúmque tuum (quondam tua gaudia) Natum?
Mi Deus, ah! mi chare Deus———
Nunquam erat huic noſtro ſimilis dolor.

§ 55.

Dilacerat mentem pudor, & fera vulnera corpus.
Hoc clavi terebrant peracuti; at acutior illam
Opprobrii clavus, nunc ad mea vinc'la ſoluti.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 56.

Ipſum te ſana, medice, & *deſcende*, procaces
Nunc in me cudunt. Deſcendi certè ubi primùm
Veſtrî ergô liqui ſolium, nitidámque coronam,
Et vultum Patris placidum; ut, pro crimine veſtro,

Iratum experiar, multúmque in vultibus hoſtem.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 57.

At me non ſano, quia veſtram curo ſalutem;
Cui tamen inſani nunc vos obſiſtitis ipſi.
Mors mea vivificat, reddunt mea vulnera ſanos;
Sola valere facit vos ægrotatio noſtra.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 58.

Inter latrones exſpiro noviſſima verba;
Ac-ſi pro ſimili deberer crimine morti.
Heu! ego quid veſtrum furatus ſum, niſi mortem?
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 59.

REX mihi pro titulo eſt præfixus in arbore ſumma.
Subditi at (ecce) mei ſervili occumbere morti
Me cogunt ſervos inter viléſque ſodales.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 60.

Admiſtum felli mihi tum præbetur acetum;
(Plus at ineſt odii) quam vis poſcentibus illis
Depluerim Angelicam mannam, cœleſtia dona.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 61.

Veſtes diſtribuunt; tunica inconſuta ſed uni,
Sortibus eductis, conceſſit, amoris imago.
Hæc tulit infirmis opem & implorántibus olim;
Aſt (ut ego) infeſtos nunquam ſanavit & hoſtes.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor?

§ 62.

Imò meam poſt mortem illorum ſæviet ira;
Nam (quod prævideo) lateris cordíſque receſſus

Lancea

Lancea recludet noſtri : quò ſcilicet illàc
Sacramenta fluant, quà culpa intraverat olim,
Vulnera cùm ſenſit coſtæ tentantis *Adamus*.
Unquámne huic noſtro ſimilis dolor ?

§ 63.

Nunc autem morior ; jam ſunt ea cuncta peracta
Quæ noſtrum angorem ſpectant hominúmque ſalutem ;
Inque ſinum demitto caput, vitámque relinquo.
Tantùm alii dicant, cùm mors mihi clauſerit ora,
Secula nulla meo parilem peperiſſe dolorem.

PROVIDENTIA.

§ 1.

SAncta Supremáque Mens, magni quæ provida mundi
Molem agitas operoſam, ad finem à fine, potenti
Imperio ſuavíque regis, neque deſeris unquam,
Ipſis à cunis, primáque ab origine rerum,
Donec in æthereo flagrabunt omnia buſto ;
Te non voce canam, cujus vi ſpiritus ore
Itque redítque, vehens diſcrimina mille ſonorum ?
De Te non ſcribam, cujus ſine numine nec ſe
Dextra movet, potis éſtve ſonos includere chartis ?
Pingere Tu vocem docuiſti, pérque papyri
Fiſſipedi calamo niveum decurrere campum.

§ 2.

Humano generi è cunctis animantibus uni,
Quotquot alit tellus, capiunt aut cærula ponti,
Téque Tuáſque vias ut poſſint ſcire dediſti.
Quin Hominis placuit calamum committere dextræ,
Solus ut ille Tuas poſſet deſcribere laudes.

§ 3.

Quàm vellent pecudes voces inflectere cantu;
Cantibus his volucres ſuperaddere verba; ſuſurros,
Organicóſque ſonos, naturæ nablia, ſylvæ;
Ut tua multijugi celebretur gloria cantu!
Soli at ſunt Homini tranſcripta tot ora manúſque:
Cætera mancorum plebs eſt, ac turba ſilentûm.

§ 4.

Indè Homo fit mundi interpres, ſummúſque ſacerdos;
Pro cunctis meritos aris qui mactet honores.
Inferiora ſuum interea ſubſellia rerum
Obſcuro ſacris aſſenſum murmure præbent,
Quale cient flantes venti, fontéſque ruentes.

§ 5.

Ergò Te quiſquis merito fraudabit honore,
Ille ſuos tantùm cultus non detinet, atqui
Multorum laudes ſimul intervertit, in uno
Crimine ſacrilego complexus crimina mille.

§ 6.

Dum comedo pecudes, pecudes mihi dicere viſæ,
Ore quidem comedas, pro me laudabis & ore.
Arbor dat fructus, arbor quoque dicere viſa eſt,
Carpe manu, ſed pange manu de Numine carmen.

§ 7.

Ergò Tibi meritam, Sanctiſſime Spiritus, ecce,
Ipſe meo laudem & ſociorum nomine pendo.
Me in totum & ſolidum reditus Tibi ſolvere juſtum eſt,
Cùm fructus ſoli, ſoli mihi ceſſerit uſus.

§ 8.

Nos viréſque Tuas & amorem agnoſcimus omni
Perfectos numero, præſtantes, Numine dignos;
Tam valido ſuavíque modo Qui cuncta gubernas,

Viſa

Visa sit ut res quæque suâ sibi sponte moveri,
Et tamen in cunctis regnet Tua sola voluntas.

§ 9.

Absque Tuo jussu rerum nihil evenit unquam,
Permissúve Tuo: dextra illa est, hæcque sinistra.
Illa quidem admissis stimulos superaddit habenis:
Hæc obrepentis sceleris compescere furta
Gaudet, & arcanis cogit parére lupatis.

§ 10.

Nil utramque fugit: Te coram singula sistis,
Digeris, exornas, suavi modulamine fingis.
Ars hæc ad nostras Tua si pertingeret aures,
O, quàm mirifico raperet præcordia cantu!

§ 11.

Magnus es in parvis, in nullo parvus: & æquâ
Stans trutinâ Tua laus nunquam surgítve cadítve.
Unus es in cunctis, in quovis plurimus idem;
In quovis cunctísque unà infinitus habendus.

§ 12.

Tempestas tranquilla Tibi est, mitísque; Tuámque
Agnoscit, tenet atque manum, ceu patris inhærent
Ductantis manibus pueri, flentésque sequuntur.
Vim maris insani vili reprehendis arenâ,
Interea dum fræna ferox spumantia mandit,
Emersas iterum fidens involvere terras,
Et saltem Decimo sua regna resumere fluctu.

§ 13.

Magne Parens rerum, toti Tua sufficit Orbi
Dextra cibum, justísque locis apponitur esca;
Dignoscúntque suos quævis animalia pastus.
Aucupium exemplo nos edocuêre volucres:
Sunt piscatores, & habent sua retia, pisces.

Majorum facilis ſic fiunt præda minores;
Hîque vorant herbas, aut vilem forſitan algam.

§ 14.

Nil genitum propriam naſcendo prævenit eſcam.
Prævia naſcenti muſcæ ſua menſa paratur.
Hybernis dapibus gaudent animalia quædam:
Pars, hyemem fallens ſomno, non invidet illis.

§ 15.

Quàm pulchre vario deducis tempora filo,
Licio & alterno torques noctéſque diéſque!
Dúmque opus agglomeras, & nos involvimur unà;
Projecti de more globi, qui, calle relicto,
Pergendo gyrat, gyrando pergit at idem.

§ 16.

Suppetit in rem cuique ſuam ſolertia quædam.
Pullos implumes paſcunt ex ore columbæ;
Subducúntque cibos, illis ubi creverit ala;
Remigium ut diſcant alarum ventre magiſtro.

§ 17.

Floricolæ viſuntur apes ſua cogere mella,
Non ſibi, ſed dominis; nec heriles lædere flores;
Quin hos virgineos illibatóſque relinquunt,
Non minùs aſpectu pulchros, aut uſibus aptos.
Sic Flos uſque manet, manántque recentia Mella;
Dulce & opus pergit dulci reſonante camœnâ.

§ 18.

Mite & molle pecus, detondens graminis herbam,
Stercore venturum campos fœcundat in annum.
Dejectis foliis radici conſulit arbos,
Gratáque telluri nutritia munera ſolvit.
Attrahit uſque novam manans de fontibus unda.
Dat calor algificas nubes, ſeſéque refutat:

Sedu-

Seducúntque annum ſerventes frigore Thermæ.

§ 19.

Quæ vis mirificas herbarum dicere vires,
Aut lapidum potis eſt? an in herbis hæc quoque vis eſt?
O ſi radicem monſtret Tua provida cura,
Unde mihi verba excreſcant, & copia fandi!

§ 20.

Si ſua vis herbæ eſt, qualem eſſe putemus in aſtris?
Non ornare ſat eſt: (pulchra eſt roſa, dátque medelam.)
Indubiè bellum, pax, peſtis, fertilis annus
Certiùs indè fluunt, noſtra ars quàm dicere novit.

§ 21.

Tu Stygiis admôſti umbris abſtruſa metalla:
Hæc tamen indè homines, proprio diſcrimine, romunt;
Et loca dum fodiunt, ſimul effodiúntque ſepulchrum;
Res ac-ſi ipſa minaretur præſaga futuri, At
Ipſe redimplebis ſuffoſſæ viſcera terræ.

§ 22.

Argumenta Tuæ laudis dant ipſa venena.
Scilicet, incautis nè mors obreperet unquam
Tanquam ex inſidiis, cuique eſt adnata veneno
Vicina antidotus; vitæ medicina ſatelles
Stat propè, nec mortis nimis amovet indè timorem.

§ 23.

Unda, viatori quæ iter obſtruxiſſe videtur,
Navibus acceptis properum magè præſtat eunti.
Ventus, in Oceano ſibi dum regnare videtur,
Imprudens Nautis didicit ſervire magiſtris.

§ 24.

Utque domûs eſt multa Tuæ divéſque ſupellex;
Sic me percuſſit rerum mirabilis ordo.
Ubertate ſcatent Valles, Montana ſalubri

Aëre; pars mundi Auſtralis ſe marmore jactat,
Sylvis ſe gelida & pretioſis pellibus Arctos.

§ 25.

Ardua geſta ſolet comitari gloria ſuppar;
In tenui labor eſt, tenuis cui gloria, facti.
Quiſque habeat paſſim quorum exſtat copia; verùm
Rara homines, quia rara, petunt, arcéque tuentur.
Commoda fert nobis tempeſtas quæque; ſalubres
Fructibus æſtivis poterunt certare pruinæ.

§ 26.

Summovet, en! ventos, tranſmiſſo lumine, vitrum;
Et ſine pondere dant pelles lanæque calorem.
Umbra fatiſcenti friguſcula præbet aperta.
Præſtat equus motum immotis, aláſque quietis.
Vel ſtanti in terra accipiter dat ab æthere prædam;
Attollúntque ſolo vel centro admota ligones.

§ 27.

Omnia fert omnis Tellus quæ flagitat uſus.
Bellula ſi quærat, cupiátve ſuperflua luxus,
Hunc procul ire jubes; ſic culpam ulciſcitur error.
Quem tamen errórem ſic Ars Tua temperat, ut jam
Semotos longè fines conſibulet Orbis,
Et celebrent homines toto commercia mundo.

§ 28.

Extra Hominem ſolum veſtes nil geſtat; opúſque
Nil habet ut geſtet. ſed & ignibus utitur unus,
Admotúſque foco fallit ſua frigora. Nempe
Igneus eſt olli vigor, & cœleſtis origo.

§ 29.

Cùm Tellus olim totis ſitiebat arenis,
Tu ſuperinducto præbebas æquore potum.
Æquore contracto prompſiſti è montibus undas.

Et quòd adhuc quædam loca nil humoris haberent,
Fit Notus (ecce) olitor, nubíſque aſpergine latè
Irrigat, & fœcundat agros & cætera terræ.

§ 30.

Flores (ah!) nè læde meos, ſed leniter, imber,
Implue leniter huc tua roſcida mella; tenellum
Nec temere invadas intempeſtivus odorem:
Cùm maturuerint, odor aſpirabit in altum;
Adque fores veſtras gratiſſima munera ſolvent.

§ 31.

Quàm pyrus eſt lævis tam tactu eſt aſpera ſentis:
Præbet at hæc melius magis & durabile ſeptum.
Quàm mollis byſſus ſaxo collata, ſudíve?
Fundamenta tamen daret hæc malè congrua turri.

§ 32.

Dona homini Tua nunc diviſa & ſingula donas;
Nunc plura in cumulum. Sola, en! nux *Indica* veſtes,
Sola cibum & quadras, potúmque & pocula præbet;
Sola ratem, funes, & acus, & ſutile velum.

§ 33.

Herbæ ortæ irriguis ſiccant plerumque caléntque.
Flatibus algentis fructûs ſua grana medentur;
Inque vicem ſanant ſuccus cortéxque limonum;
Exſolvítque ſerum lactis quod lacte ligatum eſt.

§ 34.

Non faciunt ſaltum quæ Tu (Bone) cunque creâſti;
Quin epulum referunt, ubi ab hoſpite proximus hoſpes
Accubat, ínque vicem tangunt, ſeſéque prehendunt.
Carnea ſic ranæ amphibiæ piſcéſque maritant;
Quadrupedem ac volucrem, quibus eſt à Veſpere nomen:
Spongia quod ſentit, ſenſúque carentia jungit:
Tellurem & plantas ſociant ramoſa metalla.

§ 35.

§ 35.

Quæ Tu cunque facis, fiunt conſtanter ; at indè
Arbitrio non facta Tuo nè fortè putemus,
Téque Tuámque infra ſortem ſubſidere noſtram,
A ſolito quandoque libet variare tenore.
Maxilla inferior reliquis eſt mobilis ; atqui
Hanc Crocodilus habet fixam, linguâque carentem.
Pleraque cùm ſoleant recubantia ducere ſomnos ;
Stans Elephas dormit, vel forſitan arbore nixus.
Legimus & medio Solem conſiſtere cœlo ;
Legimus & refugos fluctus, umbrámque reductam,
Recluſas terræ fauces, aſinúmque locutum,
Cœlo deciduos ignes, ſiccúmque profundum ;
Multáque Naturæ quæ Tu Dominúſque Deúſque
Agnoſci ut poſſis, edis miracula rerum.

§ 36.

Quis Te laude ferat dignâ? vel quis ferat ullâ?
En! opera is ſolus dignè Tua dixerit, illa
Qui novit : ſolus novit tot, tantáque, cunctis
Perfecta & numeris, ea qui ſibi vendicat Autor.

§ 37.

Quæque ſuis variiſque modis Te (Maxime) laudant ;
Attamen unanimi conſpirant omnia voto,
Quatenus exiſtunt manuum monumenta Tuarum.
Sic Tibi quiſque meus celebrabit Cantus honorem :
Bis tamen hic celebrat, duplici Te nomine laudans,
Auxilióque Tuo, & de Te conſcriptus eodem.

§ 38.

Omnis res, uſu quamvis & nomine ſimplex,
Multiplici celebrare Tuum ſcit Numen honore.
Hymnus & (ecce) meus meritos Tibi libat honores
Quiſque modis variis ; reliquis hic ampliùs uno.

GRY.

GRYPHI. [= Charms and knots.]

(1.)

Quiſquis manè legit Divini oracula Verbi,
Infelix oculis non erit ille malis.

(2.)

Te proficiſcentem virgâ ſi mactet egenus,
Hæc erit una tibi teláque dúxque viæ.

(3.)

Qui dextram nimiùm claudit, malè perdidit aurum;
At qui aperit, nummum duplicat ille ſuum.

(4.)

Si quis eat cubitum, & Numen non invocet, illi
Quæque dies noctes eſt habitura duas.

(5.)

In caput alterius lapidem qui conjicit, ipſo
(Quod minimè ſperat) vulnerat ille ſuum.

(6.)

Demiſſis oculis qui terram aſpexerit, illic
Se reperit, pronam & quærit ad aſtra viam.

(7.)

Sive libido tuos tinxítve ſuperbia crines,
Immemor es cineris, pulvis odore, tui.

(8.)

Quot tibi reſtabunt, denis ſi dempſeris unum?
Dena; modò in lucro Concio ſacra tibi eſt.

(9.)

In tenui ſpectatur aqua cœleſte profundum:
Altiùs at potans nigrum *Acheronta* bibat.

GAV-

[=Man's Medley] *GAUDIUM.*

AUdíſne ut modulantur aves? ut cantibus auras
Implent, & læto demulcent carmine ſylvas?
Lætantur variis animalia quæque figuris.
Attamen imprimis Homini ſua gaudia conſtant,
Cui ſoli dedit ut poſſit ridere; nec ulli
Lætitiæ indulſit tantum Natura triumphum.
Percipit ille quidem præſentis gaudia vitæ:
Gaudia venturo magìs at ſublimia ſec'lo,
Et ſincera manent, & fœdi neſcia luctûs.
Sicut enim in ſeſe cœlum terrámque maritat,
Angelicam retinens terreſtri corpore mentem;
Sic quoque lætitiam non unam pectore verſat:
Hæc mulcet ſenſus; illam mens percipit alta,
Lætáque cognati retinet commercia cœli.
Attamen hîc multo ſunt utraque miſta dolori,
Atque Euripéos imitantia gaudia fluctus.
Vix modò ridebam, quum risûs ultima luctus
Occupat, involvens piceâ caligine mentem.
Scilicet, exiguo blanditur tempore nobis;
Quin & rara venit miſeris lætabilis hora.
Hîc Deus indulſit nobis (Pater Optimus) illas
Delibare dapes, avium ſed more modóque,
Quæ vicibus guttáſque bibunt, cœlúmque tuentur.
Tu, quoties guſtare datur lætabile quicquam,
Angelicas meditare dapes, & mente revolve,
Quanta pios maneant poſt funera gaudia cœlo.
Parvula venturi micat hîc ſcintilla diei,
Qui radiis olim totum illuſtrabit Olympum.

DE

DE
MORIBUS PUERORUM.

Ad *Thomam* filium.

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

SOlliciti Patris Fili chariſſime, *Thoma*,
Solamen vidui & juſtiſſima cura parentis;
Quem ſacras inter Muſas mihi dulcis *Eliſa*,
Dum novus à *CAROLO* ſec'lorum conditur ordo,
Enixa eſt *Cami* ad ripas, fidiſſima Conjux;
Quæ tibi, dum licuit, mores formabat ad unguem,
Te fratrémque tuum votis ingentibus urgens;
At modò cœlorum ſupremas incolit arces,
Et lætum æternis ducit ſub legibus ævum:
Quin ergò memori & conſtanti pectore ſerva
Quæ Matris præcepta ſimul cum lacte bibiſti;
Dum tibi pauca cano, magnus quæ ſcripſit *Eraſmus*,
Moribus informans teneros civilibus annos.
Grati *Mnemoſynæ* Verſus, & Carmina Mulis.

Non hîc illud ago, Pietatis ſemina prima
Ut menti inſinuem, cœlúmque in pectore geſtes:
(Hoc aliàs factum:) verùm ut puerilibus annis
Abſit ruſticitas, radiétque in corpore Virtus.

Non quicquid multis placuit reputabis honeſtum,
Sed quod naturæ, & rationi congruit ipſi:
Corporis hæc motus, ut mentis, dirigat omnes.
Quóque magis promptè quæ ſunt dicenda reponas,
A capite incipiam calcem lapſurus ad imum.

Tu

Tu mentem advertas donec per ſingula curro.
Eſt oculus morum ſpeculum, mentiſque feneſtra,
Index ingenii, tacitique interpres amoris.
Sis oculis placidis, compôſtis, atque modeſtis.
Nam vagus, inſanus; torvus, truculentus habetur;
Diductus nimiùm, ſtolidus; verùm improbus, effrons:
Inſidias limus meditatur; & acrior, iras:
Innuit uſque loquax oculus, minùs éſtque pudicus.
Eſto ſupercilium porrectum, nec tamen altum;
Frons hilaris, plana, & contractæ neſcia rugæ.
Excipe linteolo naſi purgamina; vel, ſi
Emungas digitis, pede protere: nempe aliorum
Hic oculis debetur honos, nè turpia cernant.
Naſum nec criſpare decet, neque ducere rhonchos;
Id deriſorum eſt, hoc creditur eſſe furentûm.
Sternutaturus cures avertere corpus;
Diſtortos vultus nè prodas, néve ſalivæ
Aſtantûm quemvis ingrato munere dones.
Nè ſonitum reprimas, quin ſit tibi cura ſalutis:
Ut ſis urbanus, nolito accerſere morbum.
Ora pudor tingat, nativáque purpura malas.
Abjectus nè ſis, ſed nec tamen improbus ore.
Os nec hiet ſtolidi ritu, nimiúmve prematur,
Ac ſi formides offenderet halitus oris;
Mutua ſed leviter delibent oſcula labra.
Qui nullis, ſtupidus; cunctis qui arridet, ineptus;
Obſcœnè dictis arridens impius audit.
Non eſt urbanum effuſo ridere cachinno,
Diductóve omnes dentes oſtendere rictu,
Sardonicus riſus qui dicitur, atque caninus.
Si ſolus rides, ridendi dicito cauſas;
Nè ſe quis forſan fieri ludibria credat.

Lingere

Lingere labra ſolent ſtolidi, mordere minaces.
Deciduam turpe eſt iterum ſorbere ſalivam.
Exſpuit ac tuſſit crebrò mendacia dicens.
Sæpius eructare, & in os tuſſire caveto.
Si vomiturus eris, temet ſubducito turbæ:
Non vomere, ingluvie at vomitus accerſere, turpe eſt.
Mundato dentes, ac illis ſi quid inhæſit,
Oſſiculo galli, lentiſci aut cuſpide demas.
Quovis manè tuum puris os prolue lymphis:
Nempe hoc urbanum fuerit ſimul atque ſalubre.
Adſit mundities capiti; (non ſplendidus ordo,
More puellari) neque ſis impexus, & horrens.
Vermiculi & lendes abſint: neque frontis honores
Obnubat coma, nec ſcapulis humeríſque volutet.
Cæſariem in tergum quaſsâ cervice referre,
Dedecet, aut lævâ retro torquere capillos:
Diſtinxiſſe tamen digitis in fronte, modeſtum eſt.
Cervicem rectam teneas, libramine juſto
Æquales humeros, ac molliter erige corpus.
Ulnis in tergum tortis adſtare, perinde
Deſidiæ ac furti ſpeciem præferre videtur;
Sic plexis in ſe manibus, plexíſve lacertis.
Quæ natura tegi voluit, veſtítque pudore,
Tum ſolùm retegas quando eſt aperire neceſſe;
Idque verecundé. Solus licèt eſſe puteris,
Te certè Angelicæ circumſtant undique turmæ:
Virtutis cuſtos pudor eſt gratiſſimus illis.
Secretò urinam reddas; clàm faxis oletum.
Diductis pedibus ſtantes, genibúſque ſedentes,
Oſtentant ſemet: modicè at diducere poſſis.
Stare decuſſatim, aut uno tibicine fultus,
Noli; néve genu tibi crus fulcire ſedenti.

Non

Non unus modus eſt flectendi genua, nec idem
Genti omni ætatíve placet. Patrio utere more;
Aut alio, ſi fortè minùs vernacula cordi.
Sic tamen id facias, ut neuter pugnet honeſto.
Dexter in obliquum pes ſenſim & ritè reductus
Alterius tangat calcem, lævúſque viciſſim:
Atque ſalutati faciem placidéque modeſtéque
Aſpiciant oculi, modicè quoque corpore flexo.
Quòd ſi fortè parem, vel complexeris amicum,
Hunc adeas propiùs, blando cum lumine vultûs;
Et pede promoto corpus fulcire memento;
Interea dum dextra manus, deducta labellis,
Præfert indè ſibi ſpeciem prenſare volentis
Molliter illius dextram, laxéque recurrit.
Inceſſus fractus molli, præceps furioſo
Convenit; haud puero ingenuo, greſſúſve vacillans.
Integra ſi mens ſit, manibus nè geſticuleris;
Nec pedibus ludas ſtulti de more ſedentis.

De Cultu.

Hactenus in ſumma dictum eſt de Corpore; ſed nunc
De Cultu paucis dicam: nam ſunt quoque veſtes
Corporis ut corpus; mentéſque in veſte relucent.
Quamvis præſcribi poſſit modus hîc neque certus;
At ſi quid vanum fuerit, minùs atque pudicum,
Hoc puero turpe eſt; neque laudi ducitur ulli.
Ergò trahens longum ridetur fœmina Syrma:
Et quæ celari debebant membra revelans,
Et prodens oculis, non eſt ſine crimine veſtis.
Protegat, atque tegat corpus, decorétque modeſté.
Scilicet hos olim donata eſt veſtis in uſus.
Creditur ergò, ſuam veſtem qui diſſecat, amens:
Et picturatis ornari ſimia gaudet,

Morióque,

Morióque, & ſi quiſquam animo ſit verſicolore.
Veſtitum cultum eſſe decet, natalibus aptum,
Utque facultatum ratio, regionis & uſus,
Et ſec'li mores expoſcunt. Veſtibus adſit
Mundities; abſint luxus, laſcivia, faſtus.
Nempe decet juvenes cultus neglectior, atqui
Citra immunditiem. Caveas cubitalia naris
Incruſtes gypſo. tunicæ nè aſperſeris oris
Urinam, aut ſordes illas quas dicere nolo.
In latus aut tergum veſtis nè defluat unquam.
Dedecet in morem diſcincti incedere Nattæ.
Si veſtes nitidas tibi donavêre parentes,
Nè te mireris, ridendi ut ſimia vultûs;
Oſtentéſve aliis, pictus *Junonis* ut ales.
Eſt virtus neſcire tibi quàm ſplendida veſtis.
Solamen tenui ſorti concedimus illud,
Ut ſibi in his placeant modicé: ſed dives amictûs
Splendorem oſtentans miſeris opprobria dicit,
Invidiámque ſibi tali diſcrimine conflat.

De moribus in Templo.

In Templo quoties peraguntur publica Sacra,
Cura ſit ad cultum totum componere corpus;
Imprimíſque animâ totus reverentia fias.
Scilicet hîc *Chriſtum* præſentem noveris eſſe,
Stipatum Angelicis ſatrapis, Regémque Deúmque.
Nec minùs hoc credas, quòd non conſpexeris illos:
Illi te cernunt, fideíque videntur ocellis;
Corporeis oculis qui cernunt certiùs ullis.
Præconis, quoties celebratur Concio ſacra,
Auribus atque oculis totus pendebis ab ore:
Indè Dei vocem credas te audire loquentis;
Atque imis cures verba infigenda medullis,

Et condas animo quæ mox depromere poſſis;
Sic tecum reputans, fruſtrà te accedere Templum,
Ni melior factus redeas ac purior indé.

De Convivio.

Cede, nec invitus, meliori ſedis honorem;
Imò vel æquali. tibi nil deperditur indé.
Fit major quicunque aliis largitur honores.
Adque locum ſupra vulgus ſi fortè voceris,
Comiter excuſes. ſi crebrò & ſerius inſtet
Quem penes eſt, tu nè nimiùm longéque recuſes;
Nè ſis præfractus, cupiens civilis haberi.
Dum menſæ accumbis, menſam manus utraque ſupra
Emineant; ſed non junctæ, quadræve tenaces.
Proximus è mota nè incommoda ſentiat ulna;
Neúve ex adverſo pedibus continge ſedentem.
Erectum teneas æquo libramine corpus.
Nitens alternis natibus præferre videtur
Conantis ſpeciem quod vix proferre decorum.
A læva panis, dextérque eſcarius adſit
Cultellus nitidè purgatus; quo tibi panem
Scindas, non digitis frangens, cruſtúmve revellens
Undique, vel reſecans utrinque, minúſque decenter.
Emeritus culter quadræ requieſcat in ora.
Utaris potu tenui; neque pocula ſumas,
Ni priùs abſterſis labiis; intérque bibendum
Et profugos oculos, ſonitúmque cavebis equinum:
Nec decet extremam cyathi conſumere guttam.
Si quis te plenis cyathis conviva ſalutet;
Pocula libabis modicé: ſi provocet ultrà;
Omnino excuſa, te reſpondere paratum,
Quum gravior majórque virum te fecerit ætas.
Appoſitas epulas nolito attingere primus:

Arguit

Arguit hoc avidum, & quandoque pericula ducit,
Fervida dum ſorbens & inexplorata, peruſto
Cogeris exſpuere, aut malè deglutire palato;
Ridiculè magis, an miſerè, vix dicere promptum.
Quin mora profuerit puero, dum temperat iræ
Ferventis ſtomachi, frænúmque affectibus indit.
Accipe cultello quam fors objecerit offam;
Nec patinam invertas, ad te quò lauta recurrant.
Si tibi quiſquam epulas melioris commatis offert,
Excuſans leviter, capias; at, parte reſectâ,
Reſtituas reliquum, aut ſaltem impertire ſodali.
Quando opus eſt, digitos unctos extergito mappâ;
Non ore, aut tunicâ: minùs hoc utrumque decorum.
Excipias quadrâ quam quis porrexerit eſcam:
At ſtomacho ſi fortè tuo non congruat illa
Quæ tibi porrigitur, blandas perſolvito grates,
Nil opus eſt ultrà, aut, *Malè convenit illa*, reponens.
Nè ſemeſa aliis tua porrige; fruſtáve panis,
Quæ præroſa tibi fuerant, in juſcula tingas;
Quo nil ruſticiùs *Corydon* peccaverit ipſe.
Faucibus exemptum turpe eſt imponere quadræ:
Sumpſeris at ſi quid quod deglutire noceret,
Averſus clàm projicias, neque ſentiat ullus.
Oſſa exuta tuæ requieſcant margine quadræ;
Nec pòſt hæc eadem tibi deradenda reſumas.
Turpe eſt, more canum, corrodere dentibus oſſa.
Accipe ſal cultro: (digitis ſignare ſalinum
Ruſtica turba ſolet.) ſi diſtet longiùs, orbe
Id pete porrecto. culter denudet & oſſa;
Idem inteſtinis ac teſtis liberet ova.
Comminuant carnes culter dentéſque priuſquam
Trajicis in ſtomachum. civile hoc, atque ſalubre.

Nè diſtende cibo buccas, aut edito labris
Porcorum in morem ſonitum, vel naribus effla.
Ore cibis pleno nunquam bibe, néve loquare:
Scilicet hoc tutum non eſt, minùs éſtque decorum.
Nec comedas avidè, at placido lentóque tenore:
Gratáque perpetuum tibi fabula dirimat eſum.
Urbanum non eſt meditantem accumbere menſæ;
Sed nec, ut obſerves comedat quid quiſque, vagantes
Circumferre oculos, aut quenquam figere viſu.
Si quid liberiùs fuit inter pocula dictum,
Vel factum, id puero turpe eſt (nullique decorum)
Sub dium rapere. hoſpitii nè prodito jura.
Inter majores accumbens ſupprime verba;
Vel parcè profer, fuerit ſi quando neceſſe.
Multùm laudantur mulier taciturna puérque.
Arride lepidè dictis, modicè tamen: atqui
Si convivarum quis turpia proferat, ipſe
Diſſimula; urbanum eſt, te non audire videri.
Abſurdum ducas interpellare loquentem.
Te compellanti nè reſpondeto, priuſquam
Finierit quæ dicta cupit; nè forſitan ipſe
Ludibrium cunctis fias aliena reponens.
Convivam haud triſtem eſſe decet, vel reddere triſtem:
Dedecet ergò, aliis veterem refricare dolorem.
Quin & inurbanum eſt, abſentûm lædere famam.
Vituperare dapes alienis ſumptibus emptas,
Præbenti ingratum eſt, & convivantibus æquè:
Sed laudare tuas, & dicere fercula quanti
Singula conſtiterint, aliorum ingrata palatis
Condimenta daret, ſtultæque opprobria menſæ.
Si quando in luxum convivia tendere cernas,
In longúmque trahi; tu clàm, veniámve precatus,

Temet

Temet ſubduces: animi nam vim puerilis
Obruit ingluvies, corpus vitiátque tenellum,
Hoſpitium ingratum reddens & inutile menti.
Plura comeſurus quin ergò ſurgito mensâ,
Relliquiíſque tuis oneratam tollito quadram,
Atque, ſalutatis convivis undique, cede:
Deinde miniſtrato, vel ſaltem aſſiſtito menſæ
Munere functurus, fuerit ſi forſitan uſus;
Nè quis te lusûs causâ ceſſiſſe putaret.
Si quid ſubmoveas, caveas nè aſpergine juris
Perfundas cuiquam veſtem. ſi pocula præbes,
Id dextrâ facies; nam ſunt infauſta ſiniſtra.
De menſa moveas candelam, emungere juſſus:
Quódque erit emunctum, pede protere; nè malè nares
Offendat, fœdóque domum perfundat odore.

De Congreſſibus.

Si quis fortè tibi, cujus veneranda ſenectus,
Occurrat, vel qui ſit relligione verendus,
Nomine vel quovis alio ſit dignus honore;
Cede viâ, retegáſque caput, cum poplite flexo.
Non homini hoc meritíſve datur; Deus, (en!) Deus ipſe
Mandato cavit, juſsítque aſſurgere cano;
Utque quibus debetur honos præſtemus honorem.
Inter quos primum nomen meruêre Parentes;
Proximus accedit Præceptor, pollice docto
Qui pueri mentem formans generare videtur.
Quin & ad æquales *Paulinum* pertinet illud,
Præferat ut ſibi quiſque alios in honore ferendo:
Quem ſeu detuleris paribus, ſive inferiori,
Non minor evades, verùm civilior indè,
Atque adeò fies majori dignus honore.
Summiſsè & paucis, ſi cum majore, loquêris;

Cum paribus blandè placidéque: intérque loquendum
Et petasum lævâ, pectúsque amplectere dextrâ;
Donec protulerit quid fortè decentius usus.
At semper placido spectato lumine vultum
Ejus cui loqueris, vultúmque tuere loquentis.
Utere sedatâ voce, & sermone subacto
Ac lento; non qui mentem prævertat ineptè,
Aut linguam impediat. Nam turpiter hæsitat ille,
Qui non naturæ est, proprio sed crimine, balbus;
Accersítque malum, poterat cui ferre medelam.
Quin & honorificum titulum recitare subindè
Ejus quem appellas, summè civile videtur.
Si proprius fugiat, communem defer, at aptum:
Sint docti quivis, præceptores venerandi;
Grandævíque, patres; æqualis, frater, amicus.
Juramenta cave, seu seria, sive jocosa;
Nec cultum indè tuis credas sermonibus addi:
Scilicet è pueri nil prodit fœdius ore.
Obscœnè dictis nè linguam præbeat unquam
Ingenuus puer, aut patulas accommodet aures.
Denique, quod minùs est oculis aperire pudicum,
Auribus illud erit minùs ingessisse modestum.
Membra pudenda tamen fuerit si fortè necesse
Nominet, id faciat, non nudo nomine, verùm
Verborum phaleris, ac ambitione modestâ.
Dicturus poterit quo nausea fortè cieri,
Auribus adstantûm breviter præfatur honorem.
Falsa licèt fuerint, nè dicat *falsa* refellens;
Sed, *Secùs audivi*, pacem præfatus amicè.
Nè se prætulerit cuivis; quin nec sua jactet,
Aut studia alterius cujusvis arguat unquam;
Gentísve ullius mores fugillet amarè.

Com-

Commiſſum fidei arcanum vulgare cavebit :
Nè cujus famæ obtrectet ; vitium neque probro
Det cuiquam innatum. Sic nempe paraverit abſque
Invidia laudem, & multos numerabit amicos.
Sis comis cunctis, perpaucis intimus, hiſque
Non ſine delectu. Cupis at quæcunque taceri,
Ipſe prior taceas. Securus vivito famæ,
Si nihil admittas quod te feciſſe pudebit.
Nè temere inſpicias aliorum ſcrinia, chartas :
Sed neque colloquiis ſecretis ingere temet.
Si fors incideris, mox te ſubducito ; nec te,
Accítus ni ſis, alienis inſere rebus.

De Luſu.

Lude animi causâ, non lucri ductus amore.
Exſulet à luſu dolus, ac mendacia, rixæ.
Jurgia quò vites, aliis concedito palmam ;
Aut cauſam placidè dijudicet arbiter æquus.
Pulchriùs is vincit qui novit cedere liti,
Quàm qui pugnando ſuperat, palmámque reportat.
Cum paribus ludas ; at ſi ſocio impare gaudes,
Æqualem ſortem ludentûm noveris eſſe.
Arte minor tecum ſi certet, vincere ſemper,
Ut poſſis, noli ; ſic fiet ludus amœnus,
Reſpicit hunc æquis quoties victoria pennis.
Si cui contigerit clara de ſtirpe creari,
Dedecus eſſe putet non reſpondere parenti.
At qui plebeiis atavis eſt editus, ortum
Obſcurum claris & cultis moribus ornet.
Nulli conceſſum eſt ſibi delegiſſe parentes :
Ingenium & mores poterit ſibi fingere quivis.
Externum ergò bonum ſi quod natura negavit,
Ex opibus mentis tibimet ſolatia quæras ;

Formam, robur, opes præſtabit, & omnia, virtus.
Denique, quod primò dici meruiſſe videtur,
Unum ſubjungam, & verbum non ampliùs addam,
Quamvis tu nunquam forſan peccaveris ipſe,
At delinquenti veniam concede ſodali.
Forſitan ille minùs cultis eſt moribus; atqui
Hoc aliqui multis compenſant dotibus unum.
Verùm, ſi quando peccaverit inſcius, illum
Summè civile eſt ſolum blandéque monere.
Hæc tibi ſufficiant puero; ſublimior olim
Te manet *Herbertus*, maturis aptior annis,
In juvenem cùm te major tranſcripſerit ætas.

SULEIANUM.

Ad Illuſtriſſimum

CAROLUM

WESTMORLANDIÆ COMITEM.

Accipe, Magne Comes, Tibi debita Carmina, Muſæ
Idem materies ingeniúmque meæ.

Uſonias propter ripas, quà cogitur unda
Ferre jugum, & famam debet *Wansfordia* Ponti;
Sylvæ contiguus, modicíque cacumine Montis,
Eſt locus, Auſtralem qui partem verſùs & Ortum
Valléſque Villáſque & longos proſpicit Agros;

Terra

Terra olim Agricolæ duros experta labores.
At poſtquam cincta eſt vivæ munimine Sepis,
Et viridi donata togâ de ceſpite puro,
Tota vacat Ludo magnis celebranda triumphis,
Miratúrque novos auratâ veſte Colonos.
Hanc bene detonſam, ac ad vivum ceſpite raſo,
Lævigat atque polit, ſubigítque volubile Saxum;
Labentem Sphæram nè quà feſtuca moretur.
Huc generoſa Cohors, animo depellere curas
Quum juvat, & ſudum eſt, dictis plerumque diebus
Convolat; in partes itur; Tu *Guelfius* eſto,
Hic *Gibelinus* erit; Furiis tamen antè remotis,
Quin & Avaritiâ: turpes hæc ſuſcitat iras.
Sed neque pro nuda jubeo te Laude paciſci:
" Exacuit modicum; nimio ſi pignore certes,
" Corrumpis ludum, nè ſit ſincera voluptas.
Laudo tamen veterum ritus, qui Munera bina,
Præmia victori, ſtatuunt, ſolatia victo.
Heus puer! huc properè Sphæras ſplendore coruſcas
Expedias, lateri immiſſum quas fuſile plumbum
Et docuit ſolidare gradus, & ducere gyros.
Stat juxtà domus exilis, gratiſſima feſſis
Umbra viris; eadem ludentibus arma miniſtrat.
Hinc puer expromit Sphæras, hîc nocte recondit.
Primus ibi ante omnes in arenam *Sylvius* Heros
Deſcendit, multâ Virtute inſignis & Arte,
Seu circumducto metam contingere gyro,
Sive per hoſtiles opus eſt perrumpere turmas.
Is (poſtquam limen ſignârat Lamina ferri)
Protinus emittit nullo molimine Sphæram
Exiguam. hæc *Helena* eſt, curſus hæc meta futuri:
Hanc ambire omnes: felix qui limine primo

Egreſſus

Egreſſus tandem illius requieſcit in ulnis.
Tum Sphæram dextrâ complexus, lumine certo
Signat iter, prono veneratur corpore Nympham,
Effundítque Globum, tacito qui flumine lapſus
Metæ contiguus mediâ requieſcit arenâ.
Excipit hunc *Niſus*; quo non præſtantior alter,
Sive Globum verſare manu, ſeu ſtringere metam;
Sive hoſtem turbare loco, ſeu vincere curſu.
Hic Sphæram librat, minimi quæ conſcia plumbi
Radit iter lævum interior, meliórque priorem
Detrudit ſpatio, metæque amplexibus hæret.
Tum varius reliquis animus, ſpes, ira, metúſque,
Et pudor, & ſtudium, laudíſque immenſa cupido.
Quiſque ſuas partes tutari mente paratus:
Sed non quiſque Ducis laudes virtutibus æquat.
Hic multùm cupiens titulos augere triumphi,
Atque locum ſperans ſaltem retinere ſecundum,
Currentem Sphæram manibus pedibúſque fatigat:
Nunc feſtinantem vocis moderatur habenâ:
Ignavum & ſine honore globum nunc increpat; & mox
Conſulit, hortatur, laudat; tum corpore torto
Evitare docet cautes; monitíſque videtur
Emendâſſe ſuis. Quid non ſibi Somnia fingunt?
Ille volens capto *Niſum* detrudere muro,
Fallitur, ínque auras vires effundit inanes.
Infelix virtus! ſed magnis excidit auſis.
At veluti in caſtris olim *Romana* juventus,
Induperatori ſi quando fortè perić'lum
Imminet, extemplò ſeſe ad Prætoria ſiſtit,
Tutatúrque ducem, multóque ſatellite cingit:
Haud aliter *Niſum* ſocii fido agmine cingunt,
Obice firmantes aditus, hoſtémque morantur.

Quid

Quid reliquos memorem, varius quos abſtulit error?
Hic, prætervectus, metam poſt terga relinquit:
Is medio languet, ſeu carcere ſegnior exît,
Seu titubante pede & duplicato tramite vectus.
Hic hiat immodicè nimiis ambagibus: ille
Interiore ſecat gyro; vel devius errat
Averſo plumbo, totâ ridendus arenâ.
Sylvius, ut vidit nullum ſupereſſe ſuorum
Qui conclamatis poſſet ſuccurrere rebus,
Non animis cadit, aut Fatis iraſcitur; atqui
Oblatam gaudet, qualem ſibi poſceret ultro,
Materiem, dignámque ſuâ Virtute palæſtram.
" Difficili arguitur præſens ac ardua virtus;
" Altiùs oppoſito ſurgit velut aggere flumen.
Tum ſpatium omne ſuo permenſus lumine, nunc hos,
Nunc illos aditus rimante explorat ocello.
Invia virtuti nulla eſt via, protinus infit.

Dixerat, & limen repetit, Sphæràmque popoſcit,
Quam prudens illos olim ſervârat in uſus.
Viribus hanc totis intorquet: at evolat illa
Fulminеâ vibrata manu, ruptâſque phalangas
Diſſipat hoſtiles, huc, illuc funera ſpargens;
Objectâſque moras curſum molita per omnes,
Abducit metam, & ſummâ conſiſtit arenâ.

Protinus it cœlo clamor, totúſque remugit
Mons circúm; trepidat mediis exterrita ſylvis
Nympha loquax, dubitans tanti quæ cauſa Triumphi,
Quanto non meminit celebrari funera Cervi.
Diditur in Sylvas tonitru, Nymphæque minores
SYLVIVS ingeminant: ex illo tempore nobis
Sylvius; ínque illis notiſſima nomina Sylvis.

CAM-

CAMPANÆ VNDELLENSES.

NOX hyberna duas propè jam confecerat horas,
Ceſſârántque foris operæ, clamórque virorum ;
Nulli tranquillum turbabant aëra venti,
Nec cœlum audebant nubes temerare ſerenum,
Dum grex ſtellarum toto paſcebat Olympo :
Candela emicuit, ſumpſítque domeſtica regna
Æmula ſolaris radii, tenebráſque fugaces
Diſpergens, horas longa de nocte redemit :
Cùm, procul à *Camo*, veteris novus incola ruris
Solus ego (en) *Ferus* atque meus conſedimus unà
Ante focum, agreſtes recitantes ordine muſas.
Muſica ſed noſtras ſubitò pervenit ad aures,
Proxima quam tuſis campanis villa ciebat,
Et fovit vallis, liquidùm reſonantibus undis,
In tantum ut totum complerent æthera cantu.
Tum *Ferus*, Ah! Templum noſtros habet illud amores:
O mihi præ cunctis dulciſſima muſica, quàm te
Depereo! merita es noſtro quoque carmine dici.
Protinus agnovi veteris veſtigia flammæ,
Quâ cultum populúmque Dei, ſacróſque labores
Arſit, dum licuit ; ſed & ardet, & indè revelli
Solâ morte poteſt ; poterit neque morte revelli.
Tunc ego ; Quin noſtros liceat proferre calores ;
Quandoquidem ſimili nonnullus tangor amore.
Olim (nam memini) patrii cùm ruris alumno
Grammaticus teneros ludus mihi fingeret annos,
Villa exilis erat, paucis contenta colonis ;

Queîs

Queîs tamen harmonicæ mentes, cœlíque capaces.
His, ſi quando labor curvi ceſſabat aratri,
Campanas pulſare ſacras erat una voluptas.
Muſica prælongæ dabat hæc ſolamina nocti;
Excivítque novos jam multo manè labores:
Illa renaſcentis cecinit cunabula Solis;
Nec priùs ad mollem vergebant lumina ſomnum,
Funera quàm clauſæ fuerant celebrata diei.
Nulla dies abiit non his cantata camœnis;
Sic veniente die, ſic decedente canebant,
Et penitùs toto delebant pectore curas.
Interea vario mulcebant æthera cantu,
Pergratíſque ſonis vicinia tota ſonabat.
O illas dulces noctes, cùm ducere ſomnum
Ad numeros licuit, vigilémque reviſere vitam!
Hæ mihi deliciæ fuerant puerilibus annis.
Floruit at poſtquam tenerâ lanugine mentum,
Grandior *Undelæ* cepit mea pectora cantus;
Quæ tantum villas inter caput extulit omnes,
Quantum inter corylos umbroſa cacumina quercus.
Hæc ſaxo exſurgens vivo, faciéque decorâ,
Perrarum agnoſcit congeſto ceſpite culmen,
(Ut cui tecta facit de fiſſo lamina ſaxo)
Promiſíque ſedens equitánſque in tergore montis,
Auſoniæ utrinque pedem demittit ad undas:
Sed bino è ſaxis firmat veſtigia ponte,
Altáque turrigerum caput inter nubila condit.
Hic habitant illæ Muſæ, dulcéſque camœnæ,
Quæ circumfuſam demulcent carmine vallem.
Corpore ſunt multùm diverſo quinque ſorores,
Et queîs vox pariter diſpar: hæc tinnit in altum;
Illa gravis gravitérque canit, tonitrúque canorum,

Et

Et circumductos diſplodit ad æthera bombos.
Audiit hanc Echo, tremuítque in ſedibus imis :
Credibile eſt, ipſos commotos carmine Manes.
Hæ curas abigunt, hæ purgant fœcibus auras,
Atque malos abigunt Genios ; (ſi credere fas ſit)
Qui, ſimul ac reſonant Campanæ è turribus altis,
Præcipitare fugam, metuentes vota precantûm.
Sic olim viſis ſervi fugêre flagellis,
Ac, ſortis memores, dominis ſua terga dederunt.
Quàm gratum, quàm dulce melos, ſeu tempore ſancto
Claſſica ſacra canunt ; ſeu viſum eſt luce profeſtâ
In gyrum glomerare ſonos, numeríſve peritis
Ter quadragenos variare ex ordine verſus!
His, O, quis ſextam adjiciet ? tum nempe liceret
Sexcentos variare modos. Quis at optimus ille
Qui dabit ut centum pulſanti ritè quotannis
Præconi ſacro poſſint addicere libras ?
Quiſquis erit, meritos illi cernemus honores.
Hæ, quoties *CAROLI* nobis lux feſta recurrit,
Feſtinæ ſurgunt multa de nocte ſorores,
Magnáque venturæ meditantur fata diei.
Tum ſubitò gnaríque viri juvenéſque periti
Innumerum pulſant adductis funibus æra,
Protinus & toti dictant ſua gaudia ruri.
Comminus *Undelam*, ac intra lapidem indè ſecundum,
Quatuor atque decem circumſtant ordine villæ,
Diſcipulæ villæ, ac arrectis turribus adſtant.
Hæ, poſtquam accepêre ſonos, paulúmque moratæ,
Attonitis ſimiles, taciturno murmure ſecum
Hos recitant, intúſque canunt, & carmina fingunt.
Ut ſibi prima fides, clangunt. Tum protinus omne
Campanile ſonat, dum tintinnabula cantant,

Et

Et totas variis implent tinnitibus auras.
Aſtra micant blandùm ; reparabilis adſonat Echo.
At quædam villa eſt paulò diſtantior illis,
(Villa olim agricolis multis habitata, priuſquam
(Quod mireris) oves dominóſque domóſque vorarent)
Quæ turrim attollens ſublimem in vertice montis
Orditur cantus ; ſed deficit incola quartus ;
Paſtoríſque canis jam ſolam novit avenam.
Naiades interea excítæ per cærula regna
Dimidiæ exſiſtunt undis ; tum flumina circùm
Stare jubent, lætis juvat indulgere choréis.
Undæ ſtant, minimè curantes æquore mergi.
Nymphæ partitis operis ſua gaudia pandunt ;
Pars pedibus plaudunt choreas, pars carmina dicunt :
Quarum, quæ formâ pulcherrima, *Caliopeia*
Præcentríxque chori, facilíſque præire canendo,
Gaudentémque canit populum, Regémque reductum.
Quin etiam meminiſſe juvat pretioſa peric'la
Tam chari capitis ; quo non eſt mitior ullus
Regnantûm in terris, aut obſervantior æqui.
Tum *CAROLUM* toties ſalvum, & miracula narrat ;
Cœlitus ereptum bello trans æquora mittit,
Dein revocat, repetítque domum, redimítque coronâ
Auguſtos lætâ celebrantem pace triumphos.
Gaudia tum populi memorat, lætóſque furores.
Sed jam ſenſerunt ſe tintinnabula lætis
Incaluiſſe ſonis ; nec enim ſua gaudia tanta
Æra ſatis capiunt. timor eſt nè fortè liquentur.
Ilicet, ad Pontum properatò currite, lymphæ ;
Jam vos cœperunt avidis depoſcere votis
Petropolitani, nudíque in littore piſces.
Muneris at tanti memores, labentibus annis,

Hanc

Hanc ſibi dilectam laſcivo flumine vallem
Circumludentes, paſſus ter mille vagantur
Nymphæ, dántque ſuo * Villæ de nomine nomen.
Campanæ dulces valeant, vigeántque, nec unquam
Triſtia cancrino plangant incendia motu.

Hæc ego Campanis ſuper, & ſuper ære canoro,
Hîc procul à Muſis, *Cami* & procul exſul ab undis,
Ambit quà *Undelæ* ripas uxorius amnis,
Pauca *Fero* noſtro, multùm nictantibus aſtris,
Dum mea perdulcis declinat lumina ſomnus,
Et cecini, & ceciniſſe juvat. Scit cætera Muſa.

* *Oundle* contractè ex *Avondale*, Cambd.

AVICULA πτερυγίζουσα.

EN! vide'n? ut volucris, pictis jam florida pennis,
(Ætheris ignaram cùm primùm ſedula mater
Elicit in ramos extremos hoſpitis ulmi,
Quâ patriam parvóſque lares ſuſpenderat, atque
Indè audere jubet per inania) pectore toto
Palpitat, ignoto metuens ſe credere cœlo!
Hortatu hanc mulcet mater, vanóſque timores
Arguit exemplo, ſuadet, jubet, increpat, urget;
Tum volat, atque redux ceſſantem corripit; indè
Itque redítque viam toties, dum ſemita trita
Signet iter liquidum deſcriptum remige pennâ.
Filia, maternis monitis commota, tenellas
Alas ſæpe levat, pronâ cervice vocanti
Annuit, obſequium blando modulamine ſpondet.
At quoties paſſis conatur in aëra pennis,
In ramis toties hæret, nisúſque reſorbet.
Mox, ubi prima fides humeris, evicta pudore
Avolat, & rudibus vacuum diverberat alis.
Antè volans mater vicinâ conſtitit orno,
Ut natam exciperet peregrinis ſedibus hoſpes:
Quam ſimulac ferri nimio in ſublime volatu
Vidit, multa timens tremulo ſtridore reprênſat.
Heu, fruſtrá! nam tanta illam fiducia pennæ
Impulit, ut, nidíque metûſque oblita prioris,
Jam cœlum meditetur ovans, & cogitet aſtra.
Non illam pietas, non illam cura parentis
Abſtrahere indè poteſt. Fertur; jam jámque videri

Desiit, atque immersa polo latet æthere toto.
Heu matris gemitus, multùm & lacrymabile carmen!
Ah quoties, *Dilecta, mane, mane, improba,* dixit?
(Dicere vel visa est, latè loca quæstibus implens)
Quò ruis? ah! nimio miseram nè redde parentem
Obsequio; haud fuerat mea jussa capessere tanti.
Noxiáque incassùm tandem mandata retrectans,
Lugubri natam, natam bis voce vocabat,
Et sua crudeli laniabat pectora morsu.

Illa volans volitánsque, volans volitánsque per auras
Sublimi scandit cochleâ; tum perforat orbes,
Atque vagos mediis lusus suspendit in astris.
Ast ubi langueſcunt alæ, viréſque fatiſcunt,
Amotásque videt terras, cœlíque profundi
Ignotas restare vias; gravis ingruit horror,
Ebria nè tandem cœlo, *Phœbi*que sagittis
Præcipitata, ruat, tristésque adigatur ad umbras.
Sæpe suam matrem non exaudita vocabat,
Et serò neglecta dolet mandata parentis.
Sed dum tristè gemens luctus singultibus urget,
Respiciens terras pronis delabitur alis.

SEPES HORTENSIS.

HOrtus erat, qualem veteres cecinêre Poëtæ,
Cùm poma *Alcinoûs*, flores numeraret *Adonis*;
Hîc ſpatia ingenti multùm ſolidata cylindro
Præbebat Muſæ meditanti lævis arena;
Margine quam longo pariter utrinque cõercent,
Et pingunt variis habitatæ floribus herbæ.
At quis tam cultæ referat miracula ſepis?
Quæ denſas æquata comas in vertice ſummo
Viminea oſtentat viridantûm armenta ferarum,
Ingenioſa manus mirâ quas luſerat arte,
Naſonis reduces pulchre mentita figuras.
Audíſne ut frondoſus *Hylax* in limine latrat?
En! pecora introitu prohibet, pueríſque minatur.
Hîc *Nemeæ* videas iterum ſævire Leonem:
Hîc iterum ad partes *Alcidæ* clava recurrit:
Quin & in adverſum non unis faucibus *Hydra*
Sibilat, inſurgítque furens, reparabile monſtrum.
Hîc videas altè jactantes cornua Cervos,
Damáſque arborei tondentes jugera campi.
Frondeus, en! adſtat laxis Venator habenis,
Exſpectans inhiánſque, Canis dum *Gallicus* altè
Imminet à tergo lepori.
Singula ſed quid ego verſu comprêndere coner?
Quicquid *Mæonides* armis inſcripſit *Achillis*,
Herculis aut clypeo Vates *Aſcræus*, id omne
Illic cernere erat ſeducto vimine textum;
Autoréſque citat rerum vegetabilis ordo.

ΑΥΤΟΦΩΡΟΣ, sive *Nemesis à tergo.*

FInibus *Eltonæ*, sublimis vertice montis,
Petropolitanas quà semita ducit ad arces,
Saxum telluri infixum pedibus tribus exstat,
Non ingratum equiti, qui per declivia montis
Descendisse cupit salvâ cervice pedester.
Sive hoc *Mercurius* posuit, seu *Terminus* olim;
Sive hoc fortè loco terras *Astræa* reliquit,
Ultima non magno signans vestigia saxo.
Furcifer, (ut perhibent) hujus malus incola ruris,
Olim è vicino pecudem furatus ovili,
Quadrupedem strinxit, collóque humerísque levavit.
Ibat ovans prædam nactus, tenebrísque potitus:
(Hactenus & votis arrisit pulchra *Laverna*)
Non tamen evasit, nec furtum impunè ferebat.
Namque semel clivum quum conscendisset anhelus,
Hic lassus desedit humi, saxóque reclinans
Suffulsit pecudem; quæ primùm nacta quietem, &
Libertate frui cupiens, conamine toto
Movit se, aversa saxíque in parte pependit,
Raptorémque sui pedibus complexa ligatis
Adstrinxit saxo, Lictoris munere fungens.
Nec sivêre illum jugulo depellere nodum
Exhaustæ vires, & anhelitus intercluſus.
Deprênsus sedet ergò miser, dum vita per auras
Concedit mœsta ad manes, corpúsque relinquit.

Imminet à tergo *Nemesis*; scelus est sibi lictor.
Sæpe solet Numen crudos punire nocentes,
Ac pœnas mediis juvat inseruisse triumphis.

POE-

POEMATUM
Varii Argumenti
PARS ALTERA.

CARMEN MOSIS *Deut. xxxij.*
Per ANDREAM MELVINUM Scotum.

Dedicatio ad Regem Jacobum *VI.*

Extremæ Spes ſera plagæ, Lux aurea gentis
Arctoæ, & ſec'li Sólque Jubárque tui ;
Tot ſceptris atavorum ingens, ingentior altâ
Indole, quam tollit Relligionis honos ;
Sancte Puer, cape ſacra meæ primordia Muſæ,
Non ſecùs ac grati prima elementa animi.
Parva quidem tanto, fateor, munuſcula Regi :
Parva, ſed immenſi munere magna Dei.
Ipſe Tibi majora dabit, noſtro auſpice Phœbo ;
Forſan & auſpiciis nos meliora tuis.

VOS æterni ignes, & conſcia lumina mundi,
Palantéſque polo flammæ, vóſque humida regna,
Aëréique ſupèr tractus, campíque jacentes,

Et Cœlum, & Tellus, (ego vos nunc alloquor) aures
Arrigite, & celſas dicenti advertite mentes.
Qualis rore fluens gemmanti argenteus imber
Plurimus, arentes maturis ſolibus agros
Temperat undanti rivo, glebáſque ſubactas
Evocat in florem, & viridantes elicit herbas,
Inſtaurátque novos opulenti ruris honores:
Talis ab ore fluet ſacro vis lactea fandi:
Tale polo veniens numeris liquentibus aureum
Divitis eloquii flumen manabit in artus,
Oſsáque; pérque imos ſenſus, pérque alta pererrans
Pectora, nectareos læto feret ubere fructus,
Et gazam æthereâ cumulabit meſſe perennem.
Quippe Dei pango Nomen, cœlíque verendum
Concelebro Numen. Vos ergò Dei venerandum
Et Nomen celebrate, & Numen pangite noſtri.
Non tam fixa arbos altis radicibus hæret,
Non rupes immota manet, nec robora ferri
Dura, nec æternæ ſolido ex adamante columnæ;
Quàm divina ſuum veri conſtantia Numen
Firmat, & æternùm virtute & mole ſuâ ſtat.
Quod facit, eſt numeris expletum, eſt partibus aptum;
Undique perfectum tenuem tornatur ad unguem.
Stat pacti ſincera fides. Rex magnus Olympi
Labe caret, culpæque exſors, & criminis expers,
Exemplum recti, norma æqui, regula veri.
At proles corrupta Patris veſtigia liquit
Degener, & ſcelere obſtrinxit mentémque manúmque
Infelix. Quæ tanta animo dementia crevit?
Siccine pro meritis grates malè grata rependis?
Non Rex Ille tuus, qui te ſævo hoſte tyranno
Eripuit, lethíque vias & vincula rupit?

Non

Non Genitor? non Ille Auctor? non Conditor? Ecquid
Finxit humo fragiles artus, pictámque polivit
Effigiem, membríſque dedit mentíque vigorem,
Et ſenſum æthereum, & libatam cœlitus auram?
Téne ſibi cunctis prælatam gentibus unam
Selegit? Nunc ſec'la animo complectere, tecum
Nunc reputa annales; primæque ab originis ævo
Priſca memor pervolve: tuos affare parentes,
Percontare ſenes. pater hîc te temporis acti
Inſtruet exemplis: quorum eſt maturior ætas
Cuncta renarrabunt, atque ordine ſingula pandent.
Principio cœlum ac terras qui condidit altas
Arbiter, ut gentes habitandum immiſit in orbem,
Et genus humanum varias disjecit in oras,
Externas poſuit metas & regna colonis
Pro numero *Iſacidûm*; non ille oblitus & ictum
Fœdus, & æternum, quo ſe devinxit, amorem.
Namque *Jovæ* ſors una, *Jovæ* pars una, *Jacobi*
Progenies: quæ ſola quidem, ſed chara parenti.
Hanc, deprênſam olim vidua cultoris in ora,
Per loca ſenta ſitu, per dumis aſpera duris
Teſqua, per horrendos ſaltus & inhoſpita ſaxa
Duxit inerrantem, (non, quà via proxima) callem
Difficilem; rupéſque altas, aditúſque malignos
Traduxit; longos ac circumflectere curſus
Ceſſantem, & metas *Arabum* luſtrare remotas,
Inſtituit. non ulla moræ diſpendia tanti,
Quin tecti incedant tutó: ceu pupula, cornu
Quam vitreo murus cingit cryſtallinus; & quam,
Non ſecùs ac vallo, teneri munimen ocelli
Sepſit utrinque pilis; celsâque crepidine ſurgunt
Hinc atque hinc geminæ duo propugnacula moles:

Ut bene tuta cavos condantur lumina in orbes.
Ac velut alituum princeps, fulvúſque Tonantis
Armiger, implumes & adhuc ſine robore nidos
Sollicitâ refovet curâ, pinguíſque ferinæ
Indulget paſtus: mox ut cum viribus alæ
Veſticipes crevêre, vocat ſi blandior aura,
Expansâ invitat plumâ, dorſóque morantes
Excipit, attollítque humeris, plauſúque ſecundo
Fertur in arva; timens oneri natat impete preſſo,
Remigium lentans alarum, incurváque pinnis
Vela legens, humiles tranat ſub nubibus oras:
Hinc ſenſim ſupera alta petit; jàm jámque ſub aſtra
Erigitur, curſúſque leves citus urget in auras,
Omnia pervolitans latè loca, & agmine fœtus
Fértque refértque ſuos vario, morémque volandi
Addocet: illi autem, longâ aſſuetudine docti,
Paulatim incipiunt pennis ſe credere cœlo
Impavidi: Tantum à teneris valet addere curam:
Haud aliter (ſi æterna licet conferre caducis)
Numinis immenſi larga indulgentia tectos
Abramidas tutò per tot diſcrimina rerum
Duxit, eos patria cum ſollicitudine curans
Incolumes; non diis, non adjutoribus uſa,
Nec duce, nec comite externo: nihil indigus horum
Omnipotens Genitor. Deſerta per avia ſolus
Rexit oberrantes: ſolus ſubvexit in altos
Pinguis *Idumæ* campos; lætóque fruendam
Ubere tellurem dedit, & proventibus auxit.
Ecquid odorato referam ſudantia ligno
Balſamáque, & ſuccos virides liquentis olivi
E ſilicum venis? erumpunt cautibus amnes
Nectarei mellis, & flumina lactis inundant.

Quid

Quid memorem armenti prolem? quid pinguia narrem
Paſcua, multiplicéſque greges, oviúmque caprarúmque
Et tenerum pecus, & lautis opſonia menſis
Hœdos, & pingues vitulis cum pinguibus agnos?
Quid meſſes frugum immenſas, & adorea farra
Commemorem, & gravidos Cereali mergite culmos
Sanguineáſne legunt bullis turgentibus uvas?
Purpureóne bibunt ſpumantia poc'la *Falerno?*
Egregia interea gens hæc, tua clara, *Jacobe*,
Progenies, ſtirps ſancta, ſatur jam, ac farta refertáque,
Et differta nimis, denſo diſtentáque pingui,
Ecce, ferox (ut equus craſsâ farragine corpus
Cui tumet, & ſurgunt animi ſufflante ſaginâ)
Calcitrat, & crebro dominum pede verberat, ictum
Congeminans, Fontémque ſuæ Rupémque ſalutis
Rejicit; externos ritus, peregrináque Sacra,
Omnigenûmque Deûm monſtra ac ludibria cœli
Suppliciter venerans, accendit Numinis iram,
Et juſto livore Dei ciet æmula corda.
Eloquar, an ſileam? ſcelere atque immanibus auſis
Informes laxata ſinus, ut adultera, paſſim
Proſtituit ſeſe inceſtis Cacodæmonis atri
Cultibus, & ſupplex aris mactavit honores.
Demens, quæ cœli atque ſuum Numénque Patrémque
Abjecit, Patrémque Deum, Numénque paternum;
Ut patribus nec culta, ſibi nec cognita, nuper
Nata (nefas!) portenta colat, vereatur, adoret.
Scilicet hæc pietas? ſic vitæ dona reponis?
Et bene apud memorem veteris ſtat gratia facti?
Ergò ubi ſydereâ Genitor ſublimis ab arce
Proſpexit prolémque ſuam gentémque ſuperbam
In pejus ruere, & ſeſe jam ſæpe repulſum

Digna,

Digna, indigna pati ; vitiis infensus & irâ,
Terribilis tales erumpit pectore voces.
Heu gens prava! mihi proles malè-fida! quid ultrà
Demoror? huic placidam pacati luminis auram
Deflectam, & vultum subducens ora recondam ;
Securus spectabo manent quæ fata rebelles.
Olli me divis irritavêre profanis :
Succendêre meum numen per inania rerum.
Fas mihi, fas, inquam, (nam fert ità corde voluntas)
Æmula per vanam succendere pectora gentem.
Ergò meâ subitò candenti igneſcit ab irâ
Flamma vorax ; terræque vias, Orcíque latebras,
Tartareósque lacus imus pervaserit ardor,
Et gelidos tractus, & subterranea regna ;
Telluríque solum, & ruris populabit honores :
Ardebunt montes, eversáque fundamenta,
Et flammis absumpta, leves minuentur in auras.
Jámque novâ fessos cumulabo mole malorum ;
Teláque missa manu torquebo protinus omnia,
Exhaustâ pharetrâ, ac consumptis comminus armis.
Dura fames dirâ macie, sitis arida febre
Ardenti, funesta lues feralibus auris
Depascet vitam ; exuret membra, atteret ossa ;
Languentésque animas sensim torquebit amaror,
Dum necet atra dies, & funere mergat acerbo.
Nec satis ; immittam rictus & rostra ferarum,
Alituúmque truces rabidis cum dentibus ungues,
Ceu pecus in tenerum : immanes mandéntq; trahéntque,
Diripient artus impastæ, & viscera carpent.
Addam angues ; addam liventi armata veneno
Agmina, vipereum virus, genus acre draconum ;
Ut gentem infidam morsúque ictúque trucident.

Parva

Parva loquor; jam ferri aciem mucrone coruſco
Diſtringam infenſus: ſternentur inertia paſſim
Corpora, pérque domos & compita triſtis ubique
Terror, ubique pavor, & plurima mortis imago.
Ferro occumbet flóſque virûm, robúrque juventæ,
Et formæ decus atque ævi, ſanctúſque ſerenæ
Virginitatis honor: ferro cadet aureus infans,
Et qui reptat adhuc, & adhuc qui pendet ab almo
Ubere: tarda gelu ſec'líſque effœta ſenectus
Canitiem immundo turpabit pulvere verrens.
Hæc ego cum ſiccis oculis tua vulnera cernens,
Sic mecum: Extremas, excuſſum ſede, per oras
Sparſiſſem, excisámque domum cum ſtirpe tuliſſem;
Ni me operis tanti veſana ferocia crudi
Hoſtis, & inſultans ſine more ſuperbia, laude
Fraudaret, primóſque ſibi raptaret honores;
Atque manu magnâ atque invictis viribus illud
Diceret omne ſuis confectum, haud numine noſtro.
Eſt genus inconſultum, & mentis lumine caſſum,
Quale pecus tardum ingenio, & rationis egenum.
Si vel tantillùm ſaperent, ſi quæ ante pedes ſunt
Proſpicerent, rerum interitus, ſua fata viderent.
Quînam, agè, disjectos premat unus mille, duóve
Dent decies millena fugæ palantia terga;
Ni Vis illa, ſuos cui quondam cura tueri,
Addictos hoſti in prædam incluſóſque dediſſet,
Armorum bellíque potens? Non hoſtica ſicut
Numina, ſic aut victa jacent, aut feſſa quieſcunt
Tandem noſtra, nec increpitans hoc dixerit hoſtis.
Nam quales trudit gemmas *Sodomea* propago,
Et *Gomorrhæis* liveſcunt collibus uvæ;
Talis ab hac radice mali denſiſſima ſylva

Erumpit;

Erumpit; ſcelerúmque ferax labruſca racemos
Fert triſti infames ſucco. Non fellis amari
Noxia vis, non dira aconita, aut quicquid acerbi
Anguis alit venis, aut ictu vipera ſævo.
Crudeſcens jacit, illorum contendat acerbis
Fructibus, aut baccis vitiorum certet amaris.
Nonne hæc cuncta meæ conſervant condita cellæ,
Obſignántque ſeræ? mihi fas depromere ſoli;
Miſcere undantem pateram; de fæce bibendos
Por'gere lethales ſuccos, unde impius omnis
Hauriat exitium, & fundo ſe proluat imo,
Dum titubata ruunt dubio veſtigia lapſu.
Inſtat ſumma dies, inſtat, fera fata propinquant.
Quippe ſuos, poſt tot clades ac dira cadentûm
Funera, poſt varios bellíque fugæque labores,
Arbiter æthereus ſolio placatus ab alto
Reſpiciet feſſos; & opis miſeratus egenos,
Jura dabit ſcelerum vindex, ultórque ſuorum.
His hoſtem inceſſet dictis: ubi numina tandem,
Numina magna deûm, quibus & ſpes veſtra fidéſque
Nixa fuit; quorum dapibus cum flore *Lyæi*
Pinguibus expleti, tauros mactâſtis ad aras
Ingentes, pateríſque merum libâſtis & auro?
Exſurgant, in bella ruant, glomeréntque ſub armis
Auxilia, obtentúque ſui vos numinis umbrent.
Me, me, adſum qui feci, in me convertite vultus
Oráque, & attentas intento lumine mentes:
Cernite me, mea vis omnis; nihil iſta nec auſint,
Nec poterint. Deus, ecce Deus, qui vulnera figo
Dura manu, atque eadem, quamvis lethalia, ſano.
Solus ego, en! fontes animas ad triſtia trudo
Tartara; rurſus & infernis ego ſolus ab umbris

Pallentes

Pallentes revoco dulces in luminis auras.
Do vitam, tollóque, & lumina morte reſigno.
Nec quiſquam hanc dextram quâ vi, quâ fraude poten-
Effugiat. Dextram attollens ad ſidera fabor: (tem
Sic æterna mihi longum ſtet vita per ævum;
Si gladii fulgentis acutâ cuſpide lamnam
Cudero fulmineam, & populis dare jura vocatis
Cœpero; mox hoſti infeſto atque oſoribus ultro
Perſolvam grates dignas, & præmia reddam
Debita: mox mea cæſorum de ſanguine fuſo
Ebria tela bibent; & inexſaturabile ferrum
Obvia quæque vorans abſumet corpora letho.
Libratum intorquens, defixúmque altiùs enſem
Captorum in jugulo, ductorum in corde recondam.
Vos variis diſperſi oris, & fœdere ſancto
Diſcluſæ gentes, gentem ſub fœdere ſancto
Tollite ſublimem læto ſuper æthera cantu.
Namque Parens rerum, & ſuperi Regnator Olympi,
Sanguinis uſque memor fuſi, cædíſque ſuorum,
Hoſtili meritas ſumet de ſanguine pœnas:
Ille ſuis terræque ſuæ placabitur ultro.

JOBI

JOBI *CAPITA PRIMA TRIA, & POSTREMA QUINQVE, è Metaphraſi poëtica* JAC. AUG. THUANI.

Cap. I.

ARida palmiferos ſaltus quà pandit *Idume*,
Vir fuit eximiæ probitatis, nomine *Jobus*,
Divini retinens cultûs, & criminis expers.
Huic ſeptem nati, tres natæ : huic millia ſeptem
Balabant ovium, trito juga vomere terram
Vertebant quingenta boum, per paſcua aſellæ
Quingentæ errabant ; huic & ter mille cameli,
Et famulorum ingens numerus : totóque ſuperbas
Ille adeò jactabat opes Oriente beatus.
Interea celebrare domi convivia nati
Ordine quiſque ſuo ; fratres unáque ſorores
Invitatæ aderant : pater ipſe vocabat in orbem,
Luſtrabátque ſuos, irrorans flumine vivo ;
Votáque manè Deo ſupplex fundebat, & aris,
Pro natis, ſi fortè animis manibúſve nocentes
Juſtam exciviſſent Divini Numinis iram,
Multa Deum ſacris adolebat tura precatus.
Hæc illi vitæ ſeries & ſumma beatæ.

Fortè Dei genus accincti pro more miniſtri
Æthere convenêre omnes, ad juſſa parati :
Unà inimicus atrox hominum quoque venerat illó.
Cui Deus ; Unde ad nos ? peragrato ſcilicet orbe
Terrarum redis : ad *Jobum* ſed numquid eundum
Inter reſpêxti, cui relligione fidéque

Et probitate parem vix Sol vagus aſpicit ullum?
Sic ait; aſt hominum paucis ità rettulit hoſtis:
An verò juſtus nequicquam, & Numina gratis
Ille colit, ſacróſque aris inſtaurat honores;
Quem favor inſidias contra caſúſque futuros
Numinis armato ſeptum munimine cingit
Undique; cui pleno renovatas copia cornu
Fundit opes, latéque pecus, latéque cameli,
Quottidiéque novi creſcunt ad aratra juvenci?
Verùm agè, dives agri quæ poſſidet omnia ſævâ
Tange manu, mirum, niſi mox mutatus & ille,
Amiſſis opibus, probris te inceſſere perget.
Tum Deus, Experiare; tui cuncta illius (ecce)
Arbitrii facio; tantùm illum haud percute, dixit.
Ocyùs ex oculíſque Dei ſe proripit ille.
Nec mora; dum læti celebrant convivia fratres,
Pallidus ante fores *Jobi* ſtans nuncius, inſit:
Ecce, boves unco verſant dum vomere terram,
Et juxtà huc illuc curvæ paſcuntur aſellæ,
Cuſtodes magnâ ſtraverunt cæde *Sabæi:*
Solus ego è numero cædis tibi nuncius adſum.
Hæc illo dicente, ſupervenit alter: Ab alto
In terras ſubitus viridantes decidit ignis,
Paſtoréſque & oves flammis crudelibus hauſit:
Solus ego (en) tantæ cladis tibi nuncius adſum.
Rurſus & hæc alius referente ſupervenit illo:
Ecce, tripartito diſtinctis agmine turmis,
Vi pueros, curva dum fortè in valle ſedemus,
Invaſit *Chaldæa* manus, campóque potiti,
Paſcentes ſecum prædam duxêre camelos,
Occiſo comitatu, ego vix è ſtrage ſuperſtes.
Ultimus hæc illo narrante ſupervenit: Ædes

Con-

Concussit, totâ laterum compage solutâ,
Desertis *Arabum* turbo improvisus ab oris,
Ingentísque tuos oppressit mole ruinæ
Natósque & natas unà, nil tale timentes,
Dum mensæ accumbunt, frater quam struxerat ævo
Grandior: evasi tantam vir ipse ruinam.
Dixerat: At *Jobus* surgens laceravit amictus,
Deposuítque comam, terræque afflictus inhæsit;
Sublatísque oculis placido sic incipit ore.
Nudus ego in lucem veni puer, exeo nudus:
Quæ mihi cunque Deus dederat, Deus abstulit idem,
Jure suo repetens; memori cui pectore grates,
Tot bene pro factis, par est, laudémque rependi.
Hactenus & temere *Jobi* nihil excidit ore.

Cap. II.

Rursus & ecce Dei fidi pro more ministri
Æthere convenêre omnes, ad jussa parati:
Unà inimicus atrox hominum quoque venit & ipse.
Cui Deus; Unde ad nos? peragrato scilicet orbe
Terrarum redis: ad *Jobum* sed nunquid eundum
Inter respêxti, cui par probitate fidéque
Nemo hominum vivit, nemo æquè numina casto
Prosequitur cultu, vitæ nemo integer æquè est?
Quinetiam instigâsti in eum me, perdite, virtus
Quò mihi in ærumnis senis exploratior esset:
Probrosi tamen illi in me nihil excidit ore.
Hæc Deus; ast hominum contrà sic rettulit hostis:
Pro cute nimirum dubitet sua projicere ultro
Vir sapiens, vitámque alienâ morte pacisci?
Verùm, agè, tange semel, corpúsque afflige superbum;
Dispeream nisi in os probris te incessat amaris.
Tum Deus; Et licet hoc per me, tantùm ipsius uni

Parce

Parce animæ, nec plura Deus. Fugit ocyùs ille,
Impavidúmque ferit letali vulnere *Jobum*.
Ingemit illę pedes à vertice plenus ad imos
Ulceribus, vili ſaniem deradere teſtâ
Manantem ſatagens, olidóque in ſtercore ſedit
Æger, acerba fremens, atque æthera queſtibus implet.
Hîc verò exoritur plagis crudelius ipſis
Aſperiúſque malum: vitæ comes addita conjux,
Cladibus inſultans, tali ſermone maritum
Aggreditur: Quò pura tibi, quò crimine nullo
Vita nocens? jam poſce Deum pro munere mortem.
Increpat hanc *Jobus*; Stultâ quid inania voce
Verba crepas, mulier, muliebríque acta furore
Eveheris? nam cur, experti proſpera ſemper
Antehac, haut æquâ nunc mente adverſa feramus?
Hactenus & temere *Jobi* nihil excidit ore.
Fama mali interea latè pervaſerat hujus:
Regulus hinc *Thæmanum Eliphazus*, & indè *Suites*
Bildadus, nec non *Sophar Minnæus*, amici,
Condictâ venêre die, ſolatia ſiqua
Ferre queant, tantúmque ex parte levare dolorem.
Præſente hi *Jobo* ſtupefacti, *Jobus* ubi eſſet,
Quæſivêre diu; vix inventóque, gementes
Pallia diripuêre, caput quoque pulvere tetro
Fœdavêre, & humi ſeptem jacuêre diebus,
Noctibus & totidem; nec quiſquam mollibus audet
Compellare virum dictis: ità corpore toto
Peſtiferi vehemens furit inclementia morbi.

Cap. III.

Tandem adeò *Jobus*, vitæ mala multa precatus
Natalíque ſuo, ſic eſt prior ipſe locutus.
Ah! pereat quæ prima dies illuxit, & illa,

Quâ ſibi nocte marem genitum, quâ vivere primùm
Me pater accepit; diris obſcura tenebris
Lux illa æternas fugiat damnata ſub umbras.
Non Deus aſpectu, non Sol dignetur amico
Infamem ſpectris horrendæ & imagine dirâ
Mortis; eam latè nox circumfuſa profundis
Nubibus, & tetro cingant horrore tenebræ.
Illunis nox illa; dies non inter & anni
Menſtrua vertentis numeretur tempora; in illa
Non ſecurus iter faciat cantétve viator.
Illam exſecrentur diris quos tædia vitæ
Cepêre; & luctu cruciet dolor uſque recenti.
Condita ſideream ſub ſera crepuſcula lucem
Aſtra negent mundo: nequicquam exſpectet amœnum
Illa diem fuſcis nox intempeſta tenebris;
Læta nec in crocea ſpargentem lumina palla
Cernat *Idumæis* auroram ſurgere lucis.
Cur mihi maternæ patuêre repagula vulvæ?
Cur non clauſtra uteri naſcenti obſtructa? moleſtas
Aut quid ad ærumnas atque hæc in tempora ſervor?
Cur non ante diem partûs, ſaltem editus, ægram
Protinus exſpiravi animam? Cur ubera nutrix
Victuro porrexit, opémve ignara futuri
Præbuit obſtetrix, & adhuc à matre calentem
Excepit genibus, gremióque & pectore fovit?
Félix nunc animi, placidâ nunc quippe beatus
Pace fruar, ducibus comes additus atque dynaſtis,
Vaſta per & ſiccas æſtu qui Solis arenas
Tectorum ingentes tollunt ad ſidera moles;
Regibus & magnis, argentea multa ſupellex
Queîs ſepôſta domi, queîs fulvo gaza metallo
Splendida, & interior magno tumet Aula paratu.

Hei mihi! abortivo cur non oppreſſus acerbam
Præverti fato vitam nondum editus infans?
Aut quid ego inviſas puer hauſi luminis auras?
In morte à belli ſunt omnia tuta tumultu,
Sæváque commoti miteſcunt corda tyranni,
Et longâ pariter confecti ætate quieſcunt.
Exhauſtis tandem poſt fata laboribus, illic
Vinctis parta quies: non exactoris avari
Ad vocem trepidat pretio conductus iniquo,
Damnatúſve ad opus: viles unáque potentes,
Et par ſervus hero fundo volvuntur eodem.
Quò mihi ad ærumnas nato nunc vita, ſalutis
Cui Deus intercluſit iter, quem mole malorum
Obruit? Exiguæ lucis quò uſura, ſecundis
Mors quibus in votis, queîs mors inventa refoſſo
Theſauro potior, quibus una in morte voluptas?
Jámque cibi crebris prohibent ſingultibus uſum
Undantes rapidi torrentis more procellæ.
Illum equidem ſemper, qui nunc quatit oſſa, dolorem
Expavi: quod ego & rebus magis omnibus unum
Extimui, (en) triſtis revolutis menſibus hora
Attulit; altè etenim peſtis graſſatur adacto
Vulnere, nec ſævo requies datur ulla dolori.
At non ſucceſſus tumidum, non copia rerum
Fecerat, in plumis exactum aut mollibus ævum:
Me nihilo minùs illa diu proviſa repentè
Obruit inſanis tempeſtas miſta procellis.

Cap. XXXVIII.

Hactenus. at cœli concuſſo fervidus axe
Omnipotens *Jobum* tandem de nube ſerena
Alloquitur. Quid, ſtulte, paras? quo turbidus æſtu
Ferris? ait; qui nocte diem, caligine lucem,

Et decreta Dei tenebris involvere tentas?
Jámque agè, & accinctis bellator ſtrenuus armis
Conſere nunc mecum dextras: te nempe rogabo
Ipſe prior; tu, ſi quid habes, da, *Jobe*, viciſſim.
Dic agè nunc, ubi eras, terræ cùm prima magiſtrâ
Fundamenta manu jacerem? ſi quid potes, eja,
Reſponde. quis eam partes diviſit in æquas,
Metatus ratione locum, mundíque locavit
In medio, & certâ diſtinxit ſingula normâ?
Dic agè, quo tantæ nitantur pondera molis?
Quíſve alius terræ dextrâ ſtabilita potenti
Angulum ad extremi jecit fundamina muri?
Quum matutini lætis concentibus ignes
Nimirum, & juxtà Summi Patris aurea proles
Ad numerum motas quatiebant plauſibus alas.
Quis valvis rurſum appoſitis, ceu vectibus, æquor,
Cùm velut in vitam materno erumperet alvo,
Frænavit, pontúmque vagis diſcluſit ab undis?
Cùm ſuperincubuit veſtis pro tegmine nubes,
Infantémque velut tranſverſo faſcia nexu,
Sic interfuſæ pelagus cinxêre tenebræ?
Tum quoque decretum ſupèr inviolabile ſanxi,
Compreſsíque vagas clauſtris ac vectibus undas,
Dictâ lege mari; Refluis hîc æſtibus eſto
Terminus, hîc limes; commotum nec ſinat ultrà
Ire ſalum; eliſos frangant hîc littora fluctus.
An verò obliquo docuiſti tramite Solem
Trans vaga ſtelliferi pomœria currere mundi?
Præceptis num manè tuis inſtructa, repentè
Flectit agens cœlo roſeos aurora jugales,
Emicat & latè terram diffuſa per omnem;
Defensóſque umbris, ac dono noctis opacæ,

Ad-

Admotâ in latebras compellit luce latrones?
At tellus varias ducit mutata figuras,
Molle lutum impreſſo veluti vel cera ſigillo,
Deteritúrque velut mordaci pannus ab eſu.
Interea uſurâ lucis prohibentur amicæ
Impii, & inſanos agitantûm corde furores
Concidit infractis vis debilitata lacertis.
Rurſus, an æquorei luſtrâſti regna profundi,
Altáve calcâſti impoſitus pede flumina ſicco?
Num tibi terrificæ ſublapſo cardine poſtes
Mortis, & umbroſi patuerunt oſtia *Ditis?*
Telluris num juſta tibi menſura reperta eſt,
Quatenus & fines vaga porrigat *Amphitrite?*
Dic agè nunc, ubi lux igitur, denſíſque tenebris
Nox horrenda habitat? num metas lucis & umbræ
Signâſti, vicibúſque in ſe redeuntia certis
Tempora? num te olim venturum in luminis auras
Providus, & ſeros vitam producere in annos,
Sperâſti, propriæ virtutis robore fretus?
Aëriæne penum nivis, & cava nubila adîſti?
Grandinis immanes vel, ubi lapideſcit, acervos
Inſpêxti; quos, mî ſi bilem moverit olim
Impetus, in pœnas & duri prælia Martis
Scpoſui, impatiens admiſſi criminis ultor?
Unde tibi notum, cur acri impulſus ab Euro
Spiritus humantes detergat flamine terras?
Quíſve, tubos quaſi per, fontes derivet aquarum
In gremium terræ? quis ſcintillantibus alto
Æthere pandat iter flammis, igníque triſulco?
Dic agè, quis vacuum terræ cultoribus orbem
Irrigat immiſſo vaga per magalia rore?
Unde priùs ſteriles, pingui nunc ebria ſucco,

Frugibus & lætis tellus horreſcit ariſtis,
Luxuriátque herbis, & odoris floribus halat?
Dic agè, quis lætis pluvios de nubibus imbres,
Inque ſolum lento manantes rore liquores,
Stillicidî in morem, cœlo demittit ab alto?
Rurſus, & unde utero vaſtæ per inania terræ
Prodiit incantúmque gelu, cœlíque pruina?
Aſpice utì ſubitò rigidæ per frigora brumæ
Concretus rapidi lapideſcat fluminis humor,
Et durata gelu per me ſtent omnia pigro.
Num prohibere potes jucundo roſcida in ortu
Pleïadum, nè vernet humus, cœlúmque ſerenum
Contrahat in nebulas oriens nimboſus *Orion*?
Auſpiciiſne tuis caput aurea ſidera tollent
Tempore quæque ſuo, ſtelliſque micantibus *Arctos*
Cincta dabit cœlo lucem, tardúſque *Boötes*?
Legibus an certis ſpatioſo errantia Olympo,
Aſpectúque infrà poſitis dominantia terris,
Signa tenes animo? tún' nubem voce ciebis,
Illáque continuò largo te proluet imbri?
Ad juſſus excita tuos num fulgura cœlo
Miſſa ibunt, ſeſéque tibi parentia ſiſtent?
Denique, quis ſapere, & rerum cognoſcere cauſas,
Seminâque æthereæ mortalibus indidit auræ,
Concentus rectè ut valeant, cœlíque choréas,
Pendentéſque cavis numerare in nubibus utres?
Præcipites nimbi unde infrà volvuntur aquarum,
Arida cùm tellus ardenti finditur æſtu,
Pulvere ſtant campi circùm, glebáſque tenaces,
Agricolæ fruſtrata operas, ſitis urit hiulca?
Num prædam ad victum tibi cura parare *Lycæ*,
Cùm tremula effœtis jam viribus ilia ducit?

Num

Num rabidam paſtu catulorum explebis orexim,
Dum dulces capiunt ſpelæa per avia ſomnos,
Inſidiáſque cavis teneri meditantur in antris ?
Dic agè, quis jejuno eſcam per devia *Corvo*
Rura parat, nido cùm pullos urit hiantes
Lenta fames, cœlúmque querelis triſtibus implent ?

Cap. XXXIX.

Jam quis *Rupicapræ*, quis *Cervæ* aut tormina verbis
Æquet, & exactos ſæva inter tormina menſes,
Conceptos fœtâ catulos dum geſtat in alvo ?
Quot luna interea vaga ſeſe in cornua flectat,
Quótve dies abeant, concepto pondere, dum ſe
Exoneret mater ? viden' ut ſub tempora partûs
Æſtuat ad ſævos incurvatúrque labores,
Víxque ægre tandem catulos enixa dolore
Solvitur ? aſt illi depulſi à lacte repentè
Robore durantur ſolido, rupéſque peragrant,
Maternóque ſine auxilio per luſtra vagantur.

Quis *ſylveſtrem Aſinum* clauſtris laxavit, & almâ
Libertate frui, loris vinc'líſque ſoluto,
Poſſe dedit ? loca ſolivagus viduata colonis,
Corruptámque habitat ſterili ſalſugine terram.
Ille hominum vitat turbas, vicóſque frequentes,
Securus quid voce fremat, quid durus agaſo
Imperet ; in montes recipit ſeſe arduus altos,
Paſcuáque & tantùm viridantes cogitat herbas.

Num tibi *Rhinoceros* cornu metuendus acuto
Privatos humanâ operâ manſueſcit ad uſus,
Inque tuo pernox præſepi ſtabit, & olim
Colla jugo inſertus ſulcos in pulvere ducet,
Frugiferáſque unco valles proſcindet aratro ?
Indomitíne adeò confidis robore tergi,

Summam ut ei rerum curam, ruríſque laborum
Aſſiduas operas tutò committere poſſis;
Aut ſperare quòd hoc campus cultore ſubactus
Credita cum multo tibi fœnore ſemina reddat,
Areáque ingentes frumenti ſpectet acervos?
Nunc animum ad volucres paulùm converte. Vides ut
Stellatus pictâ pandat ſpectacula caudâ
Pavus, & eximio plumarum exſultet amictu
Struthio? num per te ſit mater ut immemor ova
Abjiciat, *Libyeſ*que fovenda occultet arenis;
Nec *Nomadum* inſidias timeat, pedibúſque ferarum
Conculcanda, pii affectûs oblita, relinquat?
Namque perinde ſui non ſint, ſecura recedit,
Nequicquam ſævos partûs experta dolores;
Nec miſeris metuit tanto in diſcrimine pullis.
Quippe Deus ſtolidæ mentem pectúſque parenti,
Affectúſque pios, & prolis ademit amorem.
Aſt illi in vaſtos adoleſcunt protinus artus,
Seſſorémque & equum rident ſpernúntque minorem.
Jam quis inexhauſtis armavit viribus? ecquis
Fulmine ſpirantem generoſo pectore ad arma
Finxit *Equum*, lituíque ſonos contemnere juſſit,
Vana locuſtarum demiſſa ut murmura in aures?
Aſpice, ut horrificum patulis de naribus æſtum
Fumidus exhalet: pedibus cavat (ecce) petulcis
Tellurem, geſtítque ferox, atque obvius ultro
Fertur in arma animis, obſtantiáque omnia temnit;
Nec vanos horret ſtrepitus, retróve ſuperbos,
Territus armorum facie, fert transfuga greſſus.
Tum, commota ſimul ſonitum ſuper arma dedêre,
Stare loco neſcit, putrémque ſonantibus ardens
Pulſat humum ſoleis, intérque canentia ſigna

Pugnæ

Pugnæ avidus vix ſat mediis ſibi credit in armis.
Excítus clangore tubæ demum infremit Euöe,
Hinnitum cœlo tollens, bellíque futuri
Spe calidus præſentit odoratúrque fragorem,
Et concurrentes bellantûm ad claſſica turmas.
Per purum num, *Jobe*, doces glomerare volatus
Accipitrem, & madidos alas expandere ad Auſtros,
Exuviíſque novo poſitis plumeſcere amictu?
Imperiíſne tuis, & herili excíta vocatu,
Aurea conſcendet radiantis mœnia Olympi
Regia avis pennis nitens, nidúmque ſub alta
Nube procul ſtatuet? fractæ namque ardua rupis
Illa ſupercilio, aut præruptæ cautibus arcis
Inſidet, atque illinc oculis explorat acutis,
Dum pullis metuit, ſubjectam provida prædam?
Aſt illi lambunt, edocti à matre, cruorem,
Quæ, quácunque jacére cadavera nare ſagaci
Senſerit, actutûm rapidis illò advolat alis.

Cap. XL.

Dixerat. ad *Jobum* converſo & protinus ore,
Quid juvat aſſiduis cœlum miſcere querelis,
Cúmque Deo verbis contendere? nunc agè, ſodes
Dic, *Jobe*, in tantum morbo prolapſe furorem.
Finierat. Contrà demiſſo pectore *Jobus*,
Vilis ego, en, dixit, conſpectum indignus & ante
Stare tuum: nam quæ cauſæ ſatis eſſe tuendæ
Verba queant? jamjam ora manu compreſſa tacebunt.
Inſaníſſe ſemel ſatis eſt: ignoſce fatenti,
Alme Parens: verbum dictis non ampliùs addam.
Rurſus & (ecce) Deus pavidum de turbine *Jobum*
Increpat. Accinctis bellator ſtrenuus armis
Conſere nunc iterum dextras: prior ipſe rogabo

Igna-

Ignarum; tu, si quid habes, da, *Jobe*, vicissim.
Non satis est, quòd te justum rectique tenacem
Nequicquam jactas, expertum & crimine, ni me
Sævitiæ insimules stulto temerarius ausu?
Túne, lacertosæ confisus robore molis,
Voce vel altisonâ, magno certare Tonanti
Par eris? Ergò agedum, te majestate verendum,
Te laude æthereas sublimem tolle per auras,
Gloriæ & æternos veræ mecum indue comptus;
Collectósque premens iræ sub naribus ignes
Sparge procul, torvósque in sontem conjice vultus,
Dejice & erectâ vindex cervice superbum.
Torvo, inquam, sontem atque superbum despice vultu,
Atque humilem statue, & consumptis attere rebus:
Sede suâ pulsos, terræque in viscera mersos,
Abde malos, hominúmque aspectu subtrahe. tunc te
Nempe gravem agnoscam; tua tunc mihi deniq; magna
Semper erit virtus, & erit quæ maxima semper.
Aspice nunc vastâ præstantem mole *Elephantum*,
Quem tecum volui terræ quoque munere vesci,
Cum bove & herbosos pariter depascere campos.
Illius in lumbis pars maxima roboris, ínque
Omphalo, & indomitæ nervoso in corpore vires.
Proceram veluti cedrum impellentibus Euris,
Ille movet longam celeri molimine caudam,
Implexósque gerit fibrato cortice testes.
Tum super incurvi tendones ære rigescunt,
Et chalybum durata horrent incudibus ossa.
Scilicet illum Opifex mundi, qui cuncta creavit,
Admirandi operis specimen velut edidit orbi;
Solus & immanes vastæ qui molis in artus
Quadrupedem erexit, potis est evertere solus.

Læ

Læta ferùnt avido devexi gramina montes,
Et juxtà alludunt collecta armenta ferarum.
Paſtus at ille petit latebras, ulváſque paluſtres,
Et carecta inter medio latet abditus æſtu,
Arboribus denſam circùm facientibus umbram:
Effultúmque latus molli deponit in herba,
Gramineam ad ripam ſalicetis tectus opacis.
Indè rapax vaſto fluvios exſorbet hiatu,
Siſtit & arentes exhauſtis fontibus amnes,
*Jordanúm*que vorax patulo totum accipit ore:
Ille undas oculis quàm ventre capacior haurit,
Dúmque bibit ſaxis nares offendit acutis.

Cap. XLI.

Hæc Elephante ſuper; magnum jam reſpice pontum.
Immanémne ergò mediis è fluctibus unco
Educes *Balænam* hamo? num ſune ligatam
Transfixâ poſt terga trahes ad litora linguâ?
Num junco in nares demiſſo, & vimine malis
Pertuſis, domitum ſubiges miteſcere cetum?
Num trepidas geminare preces, ac mollia fari,
Et tecum fœdus percuſſis icere palmis,
Mancipium domino fidum fore ſemper? eúmque
In ſervum accipies? Num vel tibi paſſeris inſtar
Admorſis ludet digitis, vernáſque ſalaces
Huc illuc circumſiliens blando adpetet ore?
Piſcatrix captam num turba in fruſta ſecabit,
Ut *Chananæos* inter diſtracta propolas
Veneat undiſoni regnatrix bellua ponti?
Denique, num lento fiſcellam vimine textam
Diſſecto implebis teretémve cadavere naſſam,
Aut ſtricto fodies luctantis acinace guttur?
Tantum aude, pugnæque manus accinge; quod audes,

Fruſtrà

Fruſtrà erit. Illum etenim fruſtrabitur exitus & ſpes,
Auſus erit quicunque feram tentâſſe marinam;
Conſpectâque ſemel, retro obſtupefactus abibit.
Nemo ferox adeò, nemo eſt vel robore fretus,
Quamlibèt indomito, qui cetum impunè quietum
Irritare auſit: quanquam hic quota portio noſtrî?
Et nunc ergò aude coràm conſiſtere mecum.
Ecquis enim lentum me munificentior alter
Collatis æquè benefactis vicit in omnes?
Aut ego gratuitâ quem non bonitate beavi?
Nempe meo quæcunque vides ſunt numine plena.
Sed jam ſert animus Balænæ dicere vires,
Quàm ſeſe membris, quàm vaſto corpore tollat
Ardua. Quis ſquamis prætexta retexere terga,
Aut bifido patulos fræno diducere rictus
Audeat, immanéſque oris reſerare latebras?
Aſpice ut horrendùm crepitent longo ordine dentes;
Conſertíſque velut ſcutis, teſtudine factâ,
Horreſcant circùm glomeratis tergora ſquamis:
Squamis in ſe adeò nexu coëuntibus arcto,
Ut nè rima quidem tenui ſit pervia vento:
Squamis, queîs, tutum ferientis ab ictibus, uno
Atque indiſcreto munitur tegmine corpus.
Illa repercuſſis flammas eructat in altum
Spiritibus revomens, oculíſque ardentibus igne
Luciferi roſeos ſurgentis provocat ortus.
Ardeſcunt rutilæ patefacto gutture tædæ,
Accenſíque cavis ſcintillant faucibus ignes.
Inflatis piceus de naribus æſtus anhelat;
Unda velut gutto calefacta effervet aheno.
Extemplò ſubitum collectus concipit ignem
Halitus, & celeres tumido vomit ore favillas.

Nec

Nec non & rigidâ colli cervice ſuperbit,
Attollítque jubas, & quà via cunque per undas,
Triſtia feſtivis ſternit ſibi cuncta triumphis;
Ingentéſque toros oſtentat, & ardua, neutram
In partem nutans, ſolidâ compage tenetur.
Cor quoque ei petris & ſaxo durius horret,
Piſtriníque molâ. Cuncti, viden'? ecce, tremiſcunt
Belluæ ad aſpectum, turbatóque æquore ponti
Diſperſi huc illuc animóque & corpore torpent.
Fruſtrà erit hanc quiſquis loricâ tectus, & haſtâ
Armatus, gladio conatur figere acuto.
Quippe æris ferríque minas tam deſpicit illa,
Naturâ defenſa ſuâ, quàm putrida ligna,
Imbelliſque manu feſtucam in corpus adactam.
Spicula non metuit, non tortæ verbere fundæ
Emiſſos lapides; eludit corpore lævo:
Nec, magè quàm ſtipulis, telis actíſque per auras
Miſſilibus, gæſúmque manu criſpante movetur.
Erectis protecta ultro procul obvia teſtis
Fert caput, & quácunque viam ſibi ſternit eundo,
Saxa, lutum veluti, contacto corpore ſignat.
Aſſurgunt longo properantes agmine fluctus,
Miſcentúrque vadis imis: effervere flammis
Suppoſitis ſic olla ſolet, pleníque lebetes;
Piſtillis ſic pulſa ſonant mortaria crebris.
Spumantes videas à tergo albeſcere tractus,
Impellente undas monſtro, tumidúmque per æquor,
Quácunque incedit, canentes ducere ſulcos.
Nullum animal terris, nullum Deus æquore toto
Viribus & formâ par corporis edidit illi,
Condito ad hoc, cunctis terrori ut ſcilicet eſſet
Quæ terras pontúmque colunt, nullúmque timeret:

Infra seſe etenim, ac præ ſe ſublimia cuncta
Rex latè deſpectat ovans; pedibúſque potentes
Calcat, & elatâ nequicquam mente ſuperbos.

Cap. XLII.

Jobus ad hæc; O parce Bonus: ſcio Te omnia poſſe;
Ût fiat, voluiſſe ſat eſt quodcunque potenti
Viſum animo. culpæ reus ille ego ſcilicet, inquit,
Quem meritò increpitas, Tua tanquam ignarus & excors
Conſilia extenuem ſtolidis arcanáque dictis.
Multa imprudenti, fateor, rerúmque Tuarum
Ignaro exciderant; Tua quippe O Maxime rerum
Facta parens ſuperant humiles ingentia captus.
Quapropter lacrymis oro precibúſque benignas
Præbe aures, placidúſque inclina ad vota rogantis:
Nam falſo de Te rumore accepta videre
Nunc datur his oculis coràm; miſerétque pigétque
Dictorum; in cinere atque immundo pulvere volvor
Multa gemens: nimiis O tandem ignoſce querelis.

Hæc ubi dicta, Deus verbis *Eliphazon* amaris,
Corripit: &, Juſtâ mens in te excanduit irâ
Et ſocios, inquit; vos de me haud æqua locuti
Quippe eſtis miſeri, meus hic nec qualia *Jobus*.
Vervecéſque ideo ſeptem totidémque juvencos
Deligite, ac *Jobum*, namque ille ignoſcet, adite.
Jobus pro vobis facturus vota ſacerdos
Ante aras ſtabit ſupplex; neque vota precantis
Deſpiciam, neque vos meritis pro crimine ſontes
Afficiam pœnis: de me haud ſincera locuti
Quippe eſtis miſeri, meus hic nec qualia *Jobus*.

Dixerat; ad Domini voces *Eliphazus*, & unà
Bildadus Sophárque abeunt, ac juſſa capeſſunt.
Vota facit *Jobus* ſupplex: ad vota precantis

Annuit

Annuit Omnipotens, *Jobi*que ignoſcit amicis,
Pro quibus ille Deo patriis ſacra fecerat aris.
Ipſum autem curis *Jobum*, ſæviſque dolorum
Exſolvit vinc'lis, ac reddidit omnia dupló.
Nec mora, venerunt fratres, charæque ſorores;
Venerunt unà noti quoque nuper amici:
Differtæ dapibus menſæ accubuêre frequentes;
Præteritiſque ſuper damnis & clade locuti
Multa, Dei reducem gratantur, ut antè, favorem.
Nec non quiſque ſui monumentum & pignus amoris
Donat habere agnum, ex auro quoque donat inaurem.
Ipſe Deus plura ereptis placatus in illum
Contulit, & magno penſavit fœnore damnum:
Exutóque bonis ovium bis millia ſeptem,
Biſque camelorum ter millia, mille juvencûm
Largitur paria, & totidem numero addit aſellas.
Rurſus & huic ſeptem præſtanti corpore nati,
Quot quondam; tres &, lectiſſima pignora, natæ,
Eoas inter formâ ſuperante puellas
Conſpicuæ. cuique hinc nomen: nam prima diei
A Luce; à Caſia fragranti dicta ſecunda eſt;
De Stibii nomen ſumpſit ſibi tertia fuco.
Quò magis & charis cum fratribus alma coïret
Gratia, & æterno mentes concordia nexu
Jungeret, his genitor fratrum quoque prædia juxta
Jugera multa ſolo pingui conceſſit habenda.
Indè quater ſeptem completis ordine luſtris,
Felix prole ſuâ, felix & prole nepotum,
Quos ſeriem ad quartam vidit florere ſuperſtes,
Ipſe ſenex obiit, vitæ ſatur atque dierum.

§ E-

SENECTVTIS EFFIGIES.

Eccleſiaſtis *Cap. XII.*

E Metaphraſi poëtica J. Aug. Thuani.

MEnte Deum memori ſupplex venerare Parentem,
Dum licet, & turgent vernanti ſanguine venæ;
Dum nondum adverſis urgens anguſtia rebus
Inſtat, & annoſi revolutis orbibus ævi
Tempora decrepitam nondum adduxêre ſenectam,
Quâ nequeas ullo decerpere gaudia ſenſu:
Antè oculis ſenio quàm caligantibus, igne
Deficere extincto ſol aureus, aſtra latére,
Lunáque per claram videatur hebeſcere noctem:
Antè oculis piceo quàm reſtagnantibus imbre,
In nebulam ſeſe concretus colligat humor;
Cuſtodéſque domûs veluti, circum ilia coſtæ,
Luxatâ molis tremulæ compage, dehiſcant;
Cruráque deficiant; raríque per ora molares
Jam quaſſata tremant; clauſíſque hebetata feneſtris
Lumina detrectent acceptam reddere lucem:
Antè vel anguſti obſtructis quàm faucibus oris
Attritu dentis crepitum maxilla recuſet
Edere; vel penè inſomni quàm nocte peractâ,
Ad matutinæ vix orto ſole volucris
Conſurgas cantus: cùm ſurdas nablia ad aures
Nequicquam argutos referent pulſata ſonores:
Cùm loca celſa ſenex cerebro trepidabit adire
Perculſo, metuétque viæ ſe credere longæ:

Cùm

Cùm, ſub vere novo ceu floret amygdalus albâ
Conſpicienda comâ, ſic toto vertice canos
Induet; atque levis locuſtæ ferre nequibit
Pondus, ut infirmis humeris ac viribus impar;
Sumendíque cibi potûſque amittet orexim
Paulatim: quippe illi æternùm habitanda locatur
Jam domus, & triſti totam bacchata per urbem
Præfica multa gemens implevit compita cantu:
Antè etiam exhauſtâ quàm ſe vertebra medullâ
Contrahat, incurvo quæ tanquam argentea dorſo
Porrigitur, coſtáſque ſecat lumbóſque catena;
Quæque tegit ſummas, velut aurea capſula, partes
Corrupto diſploſa crepet membrana cerebro.
Sis memor uſque Dei, per florem puberis ævi
Dum licet; antè tibi quàm margine fontis in ipſo
Hydria frangatur, fractóque volubilis axe
Optatos ſtagnantis aquæ rota deſit ad hauſtus;
Pulvis & in terram ſolvatur, ut antè, ſoluto
Corpore, natalem repetens cùm ſpiritus ortum
Protinus æthereas liber migrabit in arces.

THEOD. BEZÆ
PRÆFATIO POETICA IN PSAL. DAVIDIS *LI.*

FOrtè, pererratis cœlo terrâque marique,
Ales Amor (Dæmon quo non est certior ullus
Mortales pulchri falsa sub imagine mentes
Fallere, lethalique animos afflare veneno)
Invisæ sacras *Judææ* callidus urbes
Venerat : & jam tum magno molimine regem
Fundantem intuitus *Solymas* feliciter arces ;
Progeniémque memor *Jessæo* ex sanguine duci
Venturam Satanæ excidio, Satanæque ministris ;
Méne, (ait) à prima qui victor origine mundi
His homines domui telis, horrendâque sec'lo
Diluvia invexi (laus est hæc nostra) priori ;
Cui *Ninon*, ingentémque incesta *Semiramis* urbem
Sacravit, nostras testantia mœnia vires ;
Cui *Sodome* versa in cineres, ambustâque longè
In tenues abiit regio vicina favillas ;
Quo duce mille furens armavit *Græcia* naves,
Et nunc *Troja* novem jacet oppugnata per annos ;
Qui priùs indomitum (quid non mihi fœmina præstat?)
Sampsonem insano fregi meretricis amore ;
Jessiadæ unius non posse abrumpere cœpta,
Diviníque procul curis avertere mentem ?
Dixerat iratus, pharetrâque accinctus & arcu,

Tande

Tandem ad *Berſabet* convertit lumina vultus,
Berſabes, quâ non formoſior altera cunctas
Iſacidûm populos inter numerata puellas;
Sed conjuncta viro, & mater jam digna videri.
Et mox tam raras mortali in corpore dotes
Miratus, patulæ radiantem frontis honorem,
Purpureáſque genas, pulchri & diſcrimina naſi,
Os roſcum, & flavos per eburnea colla capillos,
Marmoreúmque ſinum, porrectáque brachia longè,
Et teretes digitos; Me verò ludere in iſtis
Fas oculis, (inquit) juvat hinc vibrare ſagittas.
Eſte procul tela ac pharetræ: namque iſta miniſtrant
Lumina tela mihi, lunatáque porrigit arcum
Umbra ſupercilii. hinc Regum Mavortia corda
(Fallor ego, aut) infans olim viciſſe *Cupido*
Credar, & hæc varias ſpargetur fama per urbes.
Sic ait, & ſubitò pharetrâque arcúque relictis,
Aëreum indutus corpus, (mirabile dictu)
Callidus affectans formoſam hinc indè puellam,
Obſervat tacitus furtim: tandémque repertis
Seſe oculis infert, claróque in lumine condit.
Illa Deum ſenſit venientem, & læta recepto
Hoſpite, nil præter *Veneris* jam cogitat artes.
Omnibus arridet, pulchræ ſibi conſcia formæ.
Nunc ſinit extremâ criſpantes fronte capillos
Ludere, nunc variâ diſcriminat arte vagantes.
Jam celare ſinum ſimulat, mammáſque coërcet,
Et ſuperobjectat tenuis velamina telæ.
Jam cunctas oſtentat opes, collóque ſuperba
Nudato, pulchrâ mentitur imagine divam.
Interdum, excultis illi qui ſtabat in hortis,
Marmoreo inſignis labro atque perennibus undis,

Fonte lavat, celeréſque oculis jaculatur amores.
Hanc igitur caſu, vitreo tum fonte lavantem,
Neſcio quid meditans ſublimi *David* ab arce
Conſpexit, vir nec cuiquam pietate ſecundus,
Nec quoquam inferior Vates, ſeu fundere dulce
Ore melos, digitis ſeu tangere plectra juvaret.
Quid non audet Amor? Regis doctíque piíque
Protinus excuſſo violavit lumina telo.
At pavidus tanto caligat lumine *David*.
Ecce, irrumpit Amor dominus, ſparſíſque veneno
Senſibus, humenti mox calfacit oſſa calore,
Atque imo tandem infligit ſub pectore vulnus.
Mens quoque victa labat, flammíſque oppreſſa fatiſcit.
Ipſe ſui oblitus cæcas ſub pectore flammas
David alit; nec jam ſtudiis incumbit honeſtis,
Nec ſibi jam quærit ſeſe quibus artibus ipſe
Aſſerat: hoc unum noctúque ditúque labore
Sollicitus volvit magno, quâ callidus arte
Efficiat formâ ut tandem potiatur amatâ.
Quid faciat? blandis adjungit munera dictis.
Paret *Berſabe*, tantóque autore peracta
Culpa placet. tumido ſic eſt mox addita ventri
Sarcina. Sed nondum *David* ſua gaudia credit
Plena ſatís. res ipſa placet, criménque probatur:
At metuit famam, dicíque recuſat adulter.
Adde onus ignaro conceptum conjuge; quippe
Fortè aberat longè *Urias*, & tempore in illo
Pro patriæ afflictæ rebus populíque ſalute
Tractabat gladios miles. Revocatur in urbem
Principis imperio. paret, caſtríſque relictis
Juſſus adeſt. Illum nec formoſiſſima conjux,
Nec nati traxêre domum, ſed principis aulam

Ingredi-

Ingreditur properans. Simulato plurima vultu
Inquirit *Davidi*; quam tandem exercitus urbem
Obſideat, quibus incluſus ſit mœnibus hoſtis,
Eventu quonam pugnatum. Singula pandit
Ille, nec infelix novit quàm dira parentur.
Quippe, licèt mensâ exceptum, vinóque madentem,
Conjugis ut ſpreviſſe thoros, aulâque manere
Aſſiduum vidit *Davidi*, jam cenſet apertum
Omne ſcelus, jam facta palàm ſua crimina credit.
Vis igitur, ſed tecta, placet; capitíque parantur
Conjugis inſidiæ. quid non audetis, amantes?
Jam nil jura valent, nil magni juſſa Tonantis;
Expertúſque Deum toties, jam victus amore
Ipſe odit ſeſe. O ſemper nocitura voluptas,
Ut tranſverſa rapis mortalia pectora tecum!
Nox erat, & latè carpebant omnia ſomnos:
At vigil inſano fraudes in pectore *Davidi*
Mille parat: calamum tandem poſcítque tabellas,
Et ſe de patriæ rebus dum ſcribere multa
Verſutus ſimulat, versâ in contraria mente,
Imperat ut pugnæ ſtatuatur in ordine primus
Urias, primúſque ruat moriturus in hoſtes.
Ergò ut prima dedit venientis ſigna dici
Lucifer, *Uriam* mox in ſua caſtra reverti
Rex jubet, inſcriptáſque Duci perferre tabellas.
Lætus at ille volat, nec ſe ſua fata tenere
Clauſa manu novit: tandémque in fronte locatus,
Immeritam infelix petiit per vulnera mortem.
Hæc Pater Omnipotens ex alto ſingula cœlo
Cernebat, jam tum iratus, quum cedere fœdi
Imperio inſanum regem ſpectaret Amoris.
Ut verò inſontem cecidiſſe agnovit amicum,

Et fuſo hoſtiles gladios tinxiſſe cruore;
Tum demum infremuit totus, vultúmque ſerenum
Iratus poſuit: tremuerunt omnia latè,
Terribilíque procul ſonuerunt aſtra fragore.
Protinus exorto compleri murmure cœlum
Turbato cœpit Domino: veniúntque frequentes
Aligeri fratres, quæ tanti cauſa tumultûs
Inter ſe rogitant trepidi, quæ litis origo,
Quos hæc ira notet; num totas fulmine terras
Perdere fortè paret, num cœli extrudere cives,
Aut priſcum revocare Chaos. quippe affore tempus
Audierant, ipſos olim quo verteret orbes
Cœlorum, & totum flammis miſceret Olympum.
Cœlorum in medio, quà ſe ſuper omnia tollit
Sublimis moles mundum complexa rotundum,
Stat thronus & gemmis totus conflatus & auro:
Hîc ſuperûm reſidet Princeps, hinc ſingula cernens
Temperat æterno componítque omnia nutu.
Hunc geminæ circum dicuntur ſtare ſorores,
Juſtitia, & placido lenis Clementia vultu.
Altera diſtricto cunctis velut enſe minatur,
Turbatíſque oculis teſtatur pectoris iras:
Altera blanditúrque oculis, ſimilíſque precanti
Vertere commoti memoratur Numinis iras.
Huc igitur poſtquam convenêre undique Divi,
Tum Pater iratus, Quænam hæc dementia? quænam
Improbitas, (inquit) noſtrum contemnere Numen
Mortales audere viros, & pectore ferri
Indomito Autorem contra? quid plurima fando
Commemorem? terræque datas totius habenas,
Et maris imperium, liquidóque volantia cœlo?
Mentem ego divinam tribui, quæ libera mortem
Deſpiceret,

Deſpiceret, quæ Me, quæ cœli ediſceret orbes.
Hoc cunctis commune bonum. quid propria natis
Commoda nunc referam toties conceſſa *Jacobi*?
Vos meminiſtis enim regis contuſa ſuperbi
Pectora; vos medio incedentes æquore turmas,
Deletáſque acies ſcitis, partóſque triumphos.
Scitis ut in terras ſummo deſcendere cœlo
Suſtinui, ut leges illis & jura tuendæ
Sancirem vitæ. noſtri quoque teſtis amoris
Sol erit, aſſueto vetitus deſcendere curſu:
Et ſciſſæ *Jordanis* aquæ, ſonitúque tubarum
Captæ urbes, pulſíque ſuâ ditione Tyranni.
Hæc illis igitur tribui. Quid maxima verò
Tot bona commemorem *Jeſſæo* præſtita Vati?
Illi ego paſtori memini tribuiſſe coronam,
Ereptóque pedo ſceptrum donáſſe ferendum.
Quin etiam vaſto memini eripuiſſe giganti:
Cúmque graves urgere minas odiúmque *Saülis*
Senſiſſem, tutum ipſe dedi (miſeratus egentis)
Exſilium, & placidâ florentia regna quiete.
Nunc tamen, antiquos mores imitatus avorum,
Oblitúſque mei, nec cœli ſpernere leges,
Nec crudele ſcelus ſceleri junxiſſe veretur.
Hinc leges, hinc jura jacent violata ſacrati
Conjugii; hinc noſter non dignâ morte peremptus
Vindictam petit *Urias*. Nunc ergò ſuperbum
Ulciſcar regis pectus, populúmque ferocem
Delebo iratus, noſtri monumenta doloris.
Deſierat, toto exoritur cùm murmur Olympo.
Protinus at mœſto aſſurgens Clementia vultu,
Conqueritur lacrymans: Nec enim ſi plectere dignis
Suppliciis homines placeat, jam fulmina poſſe

Sufficere, aut animas deinceps captura nocentes
Tartara: deſertum fore mox ſine civibus Orbem.
Fruſtrà igitur toties miſeris mortalibus olim
Eſt promiſſa ſalus? nec creſcere virga ſinetur
Exſpectata piis? Sua ſunt ſtata tempora pœnæ,
Integra quum mundi peritura eſt machina flammis.
Nè, Genitor, nè te crudelem nomine dici,
Quæſo, ſinas: tua nota ſatis ſunt Numina mundo.
At ſi pœna placet, ſi res tam ſæva probatur,
Hoc unum rogito ſupplex, hoc pectore toto
Flagito, fas ut ſit ſceleris monuiſſe peracti
Davidem: feret ille preces, tandémque, furore
Depoſito, ſcelus hoc illi noxámque remittes.
Vix bene deſierat mitis Clementia blandas
Ferre preces, quum depoſitâ Pater Optimus irâ,
Conceptum penitùs dilabi corde calorem
Senſit, & hæc tandem ſedato pectore fatur:
At miſeros ſervare juvat. Sic fatus, abire
Aligerûm mandat ſelectum ex ordine fratrum
Cæſarie inſigni juvenem, cui candida circum
Ludebat ſtola longa pedes, variæque micabant
Diſtinctæ veluti gemmis rutilantibus alæ;
Qualis ab Eōo vehitur (mortalia rebus
Si fas æthereis componere) pſittacus orbe;
Aut nubes inter qualis nitet Iris aquoſas.
Hunc igitur properè *Solymorum* inviſere terras
Imperat Omnipotens, Vatique aperire *Nathani*
Et ſcelera, & ſcelerum autorem: quem ſedulus ipſe
Arguat, & meritum oſtentans pro talibus auſis
Supplicium, culpam cogat criménque fateri.
Nec mora, juſſus adeſt, primóque à limine regem
Compellans Vates, Salve, rex, (inquit) & audi

Quid

Quid ſceleris mediâ (ecce) recèns evenerit urbe.
Ecce, fuit pecoris quidam ditiſſimus unus,
Et pecoris quidam contrà pauperrimus unus:
Illi mille greges, ovis huic tantùm unica; verùm
Chara fuit, primis parvam quam eduxerat annis,
Et mensâ & pariter lecto dignatus eodem.
Ille, adventantem caſu excepturus amicum,
(Proh facinus!) bubúſque ſuis ovibúſque pepercit;
At miſeram arripiens vicini pauperis, eheu!
O rex, mactavit ſævus, coxítque bidentem.
David ad hæc animo graviter commotus, At (inquit)
Sic faveat dextrum mihi Numen, ut iſte, cruentas
Dignus qui proprio pendat vel ſanguine pœnas,
Pauperis octuplici penſabit fœnore damnum.
Hæc ille. intuitus torvo quem lumine Vates,
Ergò, (ait) infelix, audi quid Numinis ira
Nunciet. O regum rex indigniſſime, téne
Tam ſubitò oblitum quanto te evexit honore
Cunctipotens, inopem, mediiſque ab ovilibus olim
Acceptum, & ſævi toties totiéſque leonis
Faucibus ereptum, ſolii quum ſede locaret,
Sacrarétque iſto tantum diademate regem?
Ten' miſerum, tali pollutum cæde, quietem
Ducere, quem ad pœnam poſcant pro immanibus auſis
Crimina? ſic igitur turpem traducere vitam
Amplexus medios inter? geminóne nocentem
Crimine, cœlorum fas eſt convexa tueri?
Qui ſuperos, qui te, patriámque, tuóſque ſceleſtus
Prodideris? At tempus erit quum cæde tuorum
Ipſe oculos paſces, bellíque domeſtica ſurgent
Semina, & inceſtus, & fratrum vulnera cernes.
Tu modò flecte Deum lacrymis. Sic ille tonare

Vix

Vix bene desierat, quum toto expalluit ore
David, & attonitus, vix tandem voce receptâ,
Peccavi infelix, inquit. Nec plura loquutus,
Protinus è solio miser exsilit, & sua pugnis
Pectora cum gemitu plangens, sceptrúmque coronámq;
Abjicit; & partes animum convertit in omnes.
Ergò miser nunc invisos accusat amores,
Nunc justæ meminit cædis; criménque fatetur
Conscius, & casum insontis deplorat amici.
Multa est ante oculos *Bersabe*, at nulla calores
Intus flamma parit: victus cum matre *Cupido:*
Et pavor in vacuo solus jam pectore regnat.
Quid faceret? flentem ipse licèt, veniámque precantem,
Mutatâ subitò soletur voce *Nathanes*,
Pacatam his lacrymis affirmans Numinis iram,
Semianimis pergit lacrymans, &, Vate relicto,
Spémque metúmque inter, lucem vitámque perosus,
Nil præter latebras captat. Palatia ponè
Antrum erat horrendum, fracti quà culmina montis
Exesas vastâ claudebant mole cavernas;
Horrebántque rubis latè omnia, & undique sentes,
Dumíque tribulíque, & soli invisa vorago.
Huc igitur multo turgentia lumina fletu
Advertens casu sublimi *David* ab arce,
Vespere jam seras noctis properante tenebras,
At tu, tu nostri domus (inquit) conscia luctûs,
Tu mihi testis eris justorum nempe dolorum.
Sic faveas nostro rubicunda ex crimine luna:
(Fortè erat, aut visa est *Phœbe* rubicundior:) at vos
Sidera, quæ invisos toties vidistis amores,
Mutatum spectate virum. Sic fatus, eburnam
Suspendit zonâ citharam, quâ fuetus ad omnes

Menti

Mentis erat curas uti, quâ ſæpe ſonante
Depulerat ſævos inimico à rege furores.
Ergò abit, atque ſago velatus membra cucullo,
Præcipitis tandem evadit ſuper ardua montis
Culmina; mox antrum ingreditur, largóque madentes
Imbre oculos cœlo attollit: tandémque receptâ
Mente, miſer tales tremebundo pectore fletus
Orditur, mœſtas citharâ reſonante querelas.

THO. RHÆDI Scoti
PARAPHRASIS PSALMI CIIII.

EJA, agè, divinos, mea mens, celebremus honores.
Nulla tuas æquant, Genitor, præconia laudes.
Te tua Majeſtas, Te formæ æterna juventus,
Dives inacceſſæ veſtit te purpura lucis.
Tu gemmata Tibi tendis conopea cœlos,
Penſilibúſque hærere jubes cœnacula nimbis.
Tu nubes auriga premis, ventóſque jugales
Circumagis, vaſtúmque truces per inane fatigas.
Nunciat aura levis tua juſſa; ſed impiger ignis
Exſequitur, lictórque ſacras ulciſcitur iras.
Stat tellus immota loco, nè concidat, in ſe
Undique nixa cadit. Fuit olim merſa profundo,
Lugubri montes pallâ cùm texit abyſſus.
Sed tua vox disjecit aquas; tonitrúque paventes
Deſiluêre jugis: ſtagnat convallibus humor,
Ima petens. ſpumæ rorantia litora quaſſant:
Nè redeant, terráſque tegant, hic terminus hæret.

Tu

Tu trahis illimes montana ab origine fontes,
Quos pecudes & prata bibant, & sec'la ferarum;
Hîc ubi natales mulcetis carmine ripas,
Et viridi celatis, aves, sub tegmine nidos.
Quin etiam montes, Te dante, è nubibus almo
Rore madent. Te fassa patrem parit omnia tellus,
Gramina jumentis, ægris mortalibus herbas,
Et dulces genus omne cibos; ut pectore curas
Vina fugent, pinguíque oleo frons læta nitescat,
Et gustata Ceres fessos corroboret artus.
Te plantante, virent sylvæ; domus alta volucrum
Cedrus, odoratâ *Libanum* quæ protegit umbrâ;
Cuíque piam credit sobolem crotalistria, pinus.
Persultat, duce Te, rupes, fraudésque sequentûm
Cerva fugit: ducítque histrix sub pumice somnos.
Tu stata multiplici designas tempora Lunâ;
Quadrifidúmque rotas Solis decursibus annum.
Ut verò astrifero texit nox omnia peplo,
Destituunt sua lustra feræ: catulíque leonum
Te, Deus alme, vagis prædam rugitibus orant.
Manè novum pellit saturos, conditque latebris;
Et vocat è stratis avidos ad aratra colonos.
Fervet opus donec jubeat discedere vesper.
O decor! O cunctis lucens sapientia factis!
Plena Tui tellus, rerum Sator, æquora plena:
Æquora squamigerûm domus ingens, hospita nautis.
Vela tremunt Zephyris: balæna è naribus undas
Evomit, & tardo molitur corpore saltus.
In Te, Magne Pater, quæ spirant omnia, sperant;
Tu tempestivam præbes orantibus escam.
Te spargente legunt; satiatáque divite dextrâ
Exsultant: marcéntque tuo defecta favore;

In

In cineres redeunt, vitæ dum dulce repoſcis
Depoſitum: juſſúque tuo de pulvere ſurgunt.
Tum nova vernat humus, ſubitíſque arridet alumnis.
O, regnes ſine fine Bonus, ſine fine Beatus:
Quæque creas, ea lætus ames. Te vaſta minante
Terra tremit, fumóque metum juga celſa fatentur.
Tu mihi carmen eris, Genitor; Tu ſola voluptas;
Tu deſiderium: rumpet mors unica vocem.
At cadat impietas, imâque à ſtirpe reciſa
Areſcat, juſtâque levet formidine terras.
Eja, agè, divinos, mea mens, celebremus honores.

HISTORIA JONÆ

Carmine paraphr. Per HUG. GROTIUM.

Cap. I.

TEmpore quo cunctas præ ſe contempſerat urbes,
Fortunâ famulante, *Ninos*, partæque rapinis
Divitiæ luxu contrà certante furebant,
Ipſe Pater, vindex ſcelerum, ſed lentus ad iram,
His *Amithaoniden* dictis affatur *Ionam*,
Os cui veridicum dederat, mentémque capacem
Fatorum, & poſitum longè ſpectare futurum.
I citus *Aſſyrii* tumidam rectoris ad aulam,
Et quæ vaſta rapax defendit mœnia *Tigris*;
Immerſum vitiis populum clamoribus urge,
Cujus ſancta mihi dudum verſantur ob ora
Et pœnam commiſſa petunt, ſcelerúmque nefanda
Implevit terras, nunc ſcandit ad æthera, moles.

Hæc

Hæc refer, atque minas verbis & jurgia miſce.
At miſer (heu !) ſperans complentem numine cuncta
Effugiſſe Deum, (nec enim mandata placebant)
Ad *Ciliçum* terras vicináque littora *Tauro*
Funeſtum molitur iter. Jacet inclyta portu,
Summa *Paleſtinæ* tellus ubi deſinit oræ,
Urbs vetus, *Andromedes* quæ vincula jactat, *Ioppe.*
Huc malè-ſanus abit Vates, & fortè carinam
Invenit ad liquidi properantem flumina *Cydni.*
Addit ſe nautis comitem, pretióque ſoluto,
Hoſpitium capit infelix, & Numinis almi
Deſertor, fragili mavult ſe credere ligno.
Principio faciles auræ, ſperatáque *Tarſos*
Non procul. at ſubitò fatalis inhorruit aër,
Pontum omnem turbante Deo. Sonuêre procellæ,
Et fudêre novum nubes mare; nec ſupèr ullum
Diſcrimen rebus: cœlum nox una ſalúmque
Miſcuit: ereptam reparabant fulmina lucem.
Nec temere inſani perdunt ſua murmura venti:
Circum vela fremunt; & ſe jacit omnis in unam
Tempeſtas collecta ratem. jámque hiſcere credas
Compagem, fractámque trahi ſub fluctibus alnum.
At trepidi nautæ, & pallentes morte futurâ,
(Heu! gens indocilis veri, fictâque parentum
Relligione nocens) partiti numina votis
Inclamant, gemitu fruſtrà precibúſque fatigant
Quos homines fecêre deos; hic *Belon*, at ille
Aſtarten, ſquamiſque inſignem corpora multis
Dercetin: at patrios alii, nunc ſidera, reges;
Iaſiden totámque domum, generúmque volucrem
Horrida geſtantem *Phoreynidos* ora *Meduſæ:*
Atque hunc præcipuè, dotali ut ſede profectos

Inco-

Incolumes det posse suam contingere *Tarsum*,
Tarsum pennigeræ referentem nomina plantæ.
Quin etiam merces, auri spes una parandi,
Cujus amor tantos docuit perferre labores,
Jactantur pelago, navem nè verteret omnem
Accedens ventis onus, & demitteret alto.
Ille autem interea, tantorum causa malorum,
Imâ puppe jacens somnum capiebat *Jonas*:
Seu pavor abstulerat sensus, nec corporis ægri
Illa quies, sed torpor erat; seu talis imago,
Hoc agitante Deo, sua magna oblivia Vati
Objecit, pressúmque animum graviore veterno.
Non tulit hoc rector trepidæ ratis, &, Tibi, dixit,
Nunc unde iste sopor? quin, nôsti tu quoque si quem,
I, supplex venerare Deum, ritúque parentum
Sollicita; si fortè, aliis clementior, Ille
Respiciat miseros, & fata instantia vertat.
Nec dubitant nautæ, cœli quod suscitet iras
Esse caput secum, culpámque unius in omnes
Ferre necem. Motis quin ergò quærimus urnis,
Exclamant omnes, quem pœnæ fata reposcant?
Quis nunc præcipiti volvi putet omnia casu,
Ac non lege datâ? Certum sors missa peregit
Arbitrium, verèque reum damnavit *Jonam*,
Et vates de Vate fuit. Tum quærere nautæ,
Quis genus, unde domo, cur, & quibus adsit ab oris,
Quod vitæ sectetur iter, quo crimine sontem
Incusent superi, quæ tantæ causa procellæ.
Sic illi instabant; sic contrà *Amithaone* natus.
Gens *Hebræa* mihi; studium fuit (atque fuisset
O utinam semper!) rerum servire Parenti,
Qui cœlum movet, & cœli stellantia signa,

Cujus

Cujus opus terra eſt, pontíque hæc mobilis unda.
Obſtupuêre viri, majúſque per ima cucurrit
Oſſa gelu. ſubigunt ſontem delicta fateri,
Spretáque magna Dei mandata, fugámque rebellem.
Tum quid opus facto rogitant, quâve arte parandum,
Sideret ut tumidis inſenſum fluctibus æquor,
Creſcentéſque minæ. Cùm jam nihil ille precatus,
Tollite me, me, inquit, quem veſtris fata peric'lis,
Quem toto petiêre mari; me mergite ponto:
Jam pacatus erit. merui, nec ferre recuſo:
Exſolvam inſontes, & navem morte piabo.
Certavêre quidem, connixi remige multo,
Eluctari undas, prorámque advertere terris:
Nequicquam: longè littus fugit, undáque contrà
Inſurgens nullam patitur ſperare ſalutem.
Ceſſit turba malis, Túque, O juſtiſſime, dixit,
Parce Deus nobis hanc velle aſcribere cædem
Prædamnatæ animæ, nec leto ulciſcere letum.
Nil malè de nobis illum meruiſſe fatemur:
Nec nocet ira viro, nec habendi cæca cupidò;
Sed motæ non ſpontè manus; tibi reddimus ipſum
Quem repetis. cogit tua nos invicta voluntas.
Talia vix fati ſumma de puppe volutum
Præcipitant. ſimul ille cadit, ſimul omnia cœlo
Nubila diffugiunt: poſitis quoque fluctibus unda
Detumet, & lenes veniunt ad ſuppara venti.
Perculit attonitos Divina potentia nautas;
Atque, ejurato falſorum horrore deorum,
Supplicibus votis Æternum Numen adorant;
Hunc & muneribus placant, & ſanguine fuſo.
Interea ſulcans immani corpore pontum
Bellua, miſſa Deo, vivum deprêndit *Ionam*

Fluctibus

Fluctibus in mediis, & vasto sorbet hiatu.
Ille in visceribus monstri (mirabile dictu)
Illæsus manet, & pelago novus incola fertur.
Sentit & incumbens capiti mare, sentit & æquor
Impelli tranante ferâ. Quis credere possit
Captivam tantis animam durâsse sub undis?
Duravit tamen, & tam dirâ sede morantem
Tres interpolitis soles vidêre tenebris.

Cap. II.

Hoc tunc navigium misero, carcérque, domúsque;
Hoc templum fuit. hinc calidas effudit ab imo
Corde preces, cecinítque hæc tristia carmina Vates.
Quamquam terrificis me fata ultricia monstris
Exagitant, vitámque traho vix anxius ultrà;
Spes tamen est, has me interea non perdere voces.
Hinc etiam cœlo dabitur via. Piscis in alvo
Conditus, infami tumulatus membra sepulchro,
Verba loquor supra nubes & sidera supra
Exaudita Deo. Tu me his, Rex magne, nocentem
Mersisti tenebris, ubi me premit alta vorago,
Undæque fluctúsque tui, mixtíque profundo
Gurgite longinquis procul è regionibus amnes.
Et merui ereptus superis amittere lucem
Aspectúsque tuos. tamen hæc fiducia mœstum
Solatur, fore, me *Solymas* ut sistat ad aras
Læta dies, festósque adytis instauret honores.
En tot aquæ circùm, rapidísque intorta fluenta
Vorticibus: tum multa caput circumplicat alga.
Vix sperare datur. tellus super urget acuto
Hærentem scopulis, & duris vectibus obstat:
Quin etiam æquoreæ redituro in secula rupes
Præclusêre viam. Tu spes supèr unica restas,

O Deus; è mediis animam tu faucibus Orci
Eripies, reddéſque diem. Cùm perdita ſeſe
Quæreret, in mortis regno cùm vita jacéret,
Dulce fuit meminiſſe tui. cœleſtia templa
Perrupêre preces felíxque audacia voti.
Vos nunc ite, quibus pietas errore profano
Circumventa perit, quorum ſibi quiſque figurat
Spontè Metum, & mendax in vanum cura laborat,
Séque bonis ſpoliat contempto Autore bonorum.
Me juvet Æterno grates perſolvere Regi,
Votivúmque adolere ſacris altaribus ignem.
Ille Pater bonus, Ille hominum Tutela Salúſque.
Talia dicentem toto vehit æquore piſtrix:
Ac tandem, undiſono multùm ſpatiata profundo,
Littora ſumma legit, propiúſque adnavigat oræ.
Hîc ſeſe immenſo pateſcit bellua rictu,
Numinis imperio, magníſque exercita fatis;
Ejectúmque virum vaſtæ penetralibus alvi
Impoſuit terræ.

Cap. III.

Tum ſic bonus Arbiter orbis
Edoctum ſua juſſa pati compellat *Ionam*;
I propere, celsáſque *Nini* pete nuncius arces,
Et mea fer totam latè mandata per urbem.
Ille iter accelerans præcepto paret herili,
*Aſſyriáſ*que domos ſpatioſáque mœnia tangit,
Quæ non antè citis circum ſit paſſibus ire,
Quàm ter ſol oriens ter merſerit æquore currus.
Jámque emenſus erat quantum via ſiverat urbis
Lucis ab exortu ſupremam ad veſperis horam,
Triſtia perculſas referens oracula ad aures;
Intra bis decies geminatæ tempora lucis

Cor-

Corruet excidio *Ninos*, & disjecta jacebit.
Submisêre Deo trepidantia pectora cives,
Respónsóque habuêre fidem. Tum triste celebrant
Justitium, nullóque sibi discrimine cuncti
Indixêre famem: nec sueto gaudet amictu
Turba, sed hirsutis indurat corpora velis.
Ipse *Nini* Dominus, quem circum mille tuentur
Excubiæ, cui tot pendunt famulare tributum
Ignotæ gentes, cujus victricia signa
Terrarum pars tanta timet, simul horridus aures
Nuncius impulerat, solio descendit avito,
Unde triumphatis *Asiæ* regnator opimæ
Jura dabat populis, trabeâque exutus & auro,
Cyniphiis præfert horrentia tegmina setis,
Et tellure sedens inspergit pulvere membra.
Adjicit exemplo legem, procerúmque vocato
Concilio, jubet hæc populis mandata referri.
Ducite, turba *Nini*, longo jejunia luctu.
Ipsa etiam mœsta in stabulis armenta dolores
Testentur nostros, & equorum bellica proles,
Balantúmque greges. non ulla aut graminis herbam
Attingat quadrupes, aut fluminis hauriat undam;
Dura sed in nudo sedeant velamina tergo:
Idem homines, idem pecudes exæquet amictus.
Inclamate Deum findentibus æthera votis.
Sed simul exactæ damnantes crimina vitæ,
Et longas scelerum furias, insistite rectæ
Mentis iter, fœdâque manus purgate rapinâ.
Quis scit an avertat nobis quod triste minatur
Exitium Deus, & positâ deferbeat irâ?
Spem probat eventus; peccati pœnitet urbem,
Supplicisque Deum. Vidit namque omnia facta

Omnipotens, vidit pertæsas crimina mentes,
Nec jam sustinuit decretas sumere pœnas.

Cap. IV.

Sed, non tam clemens animi, indignatur *Ionas*
Stare *Ninum*, cupiens immensis cladibus emptum
Esse ratas diro tulerat quas carmine voces.
Ergò bile tumens, & amaro percitus æstu,
Hoc erat, exclamat, tua cur mandata subire
Defugerem, hoc patriâ mecum tellure loquebar,
Hoc & *Coryciæ* peterem cùm littora terræ.
Nôram ego quàm clemens & quàm placabilis esses,
Quàm veniæ largus, facilisque ignoscere lapsis,
Protinus & culpas precibus donare priores,
Non odii retinens, omni sed suetus ab ævo
Humanos placidâ miserari mente labores.
Nunc, quando *Assyriæ* visum tibi parcere genti,
In me verte minas; atque hanc, precor, eripe vitam,
Quam vix æger ago, quâ mors mihi lætior ipsa est.
At Pater Omnipotens, Quin hoc te expendere, dixit,
Æquius, an justo temet mœrore fatiges,
Et tibi quâ causâ tanto cor fluctuet æstu.
Exiit invisam proles *Amithaonis* urbem;
Nec procul à muro, quâ *Titan* parte reducit
Matutinus equos, parvo sibi culmine tectum
Exstruit, exspectans urbem quæ fata manerent.
Hîc sedet, hîc umbras & frigora captat opaca.
Nam Deus hâc ipsâ stirpem regione locârat,
Quam Cici dixerunt Eöo nomine gentes.
Hæc amplexa casam, sinuosáque brachia latè
Protendens, rapidos arcebat frondibus ignes,
Dulcia turbato præstans solatia Vati.
Postera sed cùm se roseis aurora quadrigis

Tolle-

Tolleret, exiguo ſuccedens corpore ſerpens,
Sponte Dei, certo radicem vulnere lædit,
Vitaléſque trahi ſuccos vetat. illa reciſis
Procumbit foliis demiſſo languida collo.
Interea primo procedens *Phœbus* ab ortu
Igne coquit terras: *Phœbo* Deus addidit Eurum
Omnia peſtiferæ torrentem flatibus auræ.
Atque ea flamma poli nudo dum vertice Vatem
Urit anhelantem, fractâ vi corporis omni,
Marcidus extremam ſibi queſtibus advocat horam.
Et quid adhuc, clamat, quid adhuc miſer ille moratur
Spiritus? invideo fatali ſorte peremptis.
Pontus ubi? mala cur toties in tanta reſervor?
Tum rogat Omnipotens, meritâ num percitus irâ
Æſtuet, ereptam repetens clamoribus umbram.
Ille refert, magnis incendi pectora caulis;
Et, ſi vota juvent, votis accerſere mortem.
Tum Pater, Uſque adeò vili pro caudice pugnas?
Huic parci fas grande putas, quem non tua ſevit
Dextera, non olim ſumpti coluêre labores,
Quem genitum nox una dedit, nox abſtulit una?
Tu florem *Aſſyriæ*, tu plenam gentibus urbem
Me ſervare vetas? Si non te armenta movebant
Pro frutice iratum, (mihi ſunt tamen hæc quoque cordi)
An nihil & decies hominum bis ſena putabas
Millia, materno pendentes ubere natos,
Aut modò deſertis reptantes denique cunis,
Indociles dextrum quod iter, quæ ſemita lævo
Calle ferat, pravíque & honeſti noſcere fines?
Conticuit Vates jam ſe quoque judice victus,
Et ſua manſuris commiſit crimina chartis.
Hoc monitore, Dei ſanctos audire vocatus,

Quisquis es, & lapsus non desperare memento:
Utque feras veniam, veniæ placabilis esto
Tu quoque, nec vitiis succense longiùs æquo.
Fer casus durósque animo constante labores.
Crede revicturos artus, moriturâque mortis
Imperia. hoc, superis iterum donatus, *Ionas*
Monstrat enim, *Christi* tumulo redeuntis imago.

HUGONIS GROTII

PARAPHRASIS IN TRES VERSUS POSTREMOS CAP. X. PROPH. JEREMIÆ.

Quòd procul *Assyriâ* veniens exercitus orâ,
Magne Parens, versis in nos victricibus armis,
Palmiferum nemus & valles populatur opimas,
Castrorumque minas circum sacra mœnia tollit
Auspiciis fundata Tuis, jámque imminet urbis
Excidio; non hos *Euphrate* aut *Tigride* motus
Ille *Semiramia* secum devexit ab aula;
Non à coctilibus venit hæc fiducia muris:
Sed lapis ut quondam Baleáride tortus habenâ,
Quos non antè habuit, sub nubibus invenit ignes;
Sic *Babylon*, sic regna *Nini* qui possidet hæres,
Nempe manûs sunt tela Tuæ; cœlestibus itur
Imperiis. Nam fidereos qui temperat orbes,
Idem humana regit vestigia: quicquid ab alto
Imminet, huc ultro tendens ruit obvia fatis

Turba,

Turba, ſimúlque venit ſupera cum lege voluntas.
Nos autem, quócunque vocas, meruiſſe fatemur
Omnia. Pro populo veniam non depreçor iſto,
Qui toties divûm ſurdas proſtratus ad aures,
Impia thuricremis placavit marmora flammis.
Seu morbos ſævire jubes, ſeu protinus atram
Mittis in arva famem, pluvios & ſubtrahis imbres,
Sive aliud quodcunque paras; præbemus ad ictus
Devotum caput: ipſa reis placet ultio. Sed quem
Crimina noſtra negant, Tua det clementia finem.
Nam ſi dum juſtæ furor in nos æſtuat iræ,
Ad pœnas & flagra venis, damnabimur omnes
Exitio, & pridem populis inviſa profanis,
Funus erit *Judæa* ſui. Sed parce, precamur,
Nec totum ultorem noſtris impende ruinis;
Sed multum miſerantis habe: quanquam horrida poſcunt
Supplicium peccata, Pater tamen eſſe memento.
Vindictam veniâ metire, animóque tumenti
Pone modum. Vel, ſi nondum deferbuit ardor,
Materiámque petit, diræ ſunt undique gentes,
Quas Tua Majeſtas æternáque gloria nullâ
Relligione tenent: cœlum pars magna ſolúmque
Artificis ſecura videt. Ferus ille, tuóſque
Marte premens, *Belum* pro te *Chaldæus* adorat;
Regúmque exuviis & noſtrâ clade ſuperbus
Mithræ ſacra facit. Nullos miſêre juvencos
Ad tua templa Magi: nullum cœleſtibus aris
Aſſyrii fudêre merum. Tamen (ecce) triumphat
Barbarus, & vexat populum tua ſacra colentem
(Dum te poſſe negat quos obſidet ipſe tueri)
Impunè, & campis tentoria figit in illis,
Per quos ſanctus, oves armentáque ſæpe ſecutus,

Bis-senæ ſobolis genitor, tua magna voluptas,
Et nemora & colles docuit reſonare Tonantem.
Quin etiam depaſcit agros, & ovilia raptat
Iſacidûm, nequa hinc *Salomonis* ad atria magnis
Victima ducatur ſolemnibus. Utne perennes
Ergò foci fileant, *Solymæ*que (O dedecus !) arces
Armatum vacuis videant penetralibus hoſtem ?
Ah ! meliùs tales, ſi quid miſereris, in ipſos
Verte minas : noſtri fiant medicina doloris.

P. VIRGILII MARONIS

(ut vulgò habetur)

MORETUM.

JAM nox hibernas bis quinque peregerat horas,
Excubitórque diem cantu prædixerat ales,
Simulus exigui cultor cùm ruſticus horti,
Triſtia venturæ metuens jejunia lucis,
Membra levat ſenſim vili demiſſa grabato,
Sollicitâque manu tenebras explorat inertes,
Veſtigátque focum : læſus quem denique ſenſit.
Parvulus exiguo remanebat ſtipite fumus,
Et cinis obductæ celabat lumina prunæ :
Admovet his pronam ſubmiſsâ fronte lucernam,
Et producit acu ſtupas humore carentes,
Excitat & crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebræ fulgore recedunt ;

Oppoſi-

Oppositâque manu lumen defendit ab aura,
Et referat clausâ, quæ prævidet, ostia clavi.
Fusus erat terrâ frumenti pauper acervus;
Hinc sibi depromit quantum mensura petebat,
Quæ bis in octonas excurrit pondere libras.
Indè abit, assistítque molæ: parvâque tabellâ,
Quam fixam paries illos servabat in usus,
Lumina fida locat. geminos tunc veste lacertos
Liberat, & cinctus villosæ tegmine capræ
Perverrit caudâ silices, gremiúmque molarum.
Admovet indè manus operi, partitus utramque:
Læva ministerio, dextra est intenta labori.
Hæc rotat assiduis gyris, & concitat orbem.
Trita Ceres silicum rapido decurrit ab ictu.
Interdum fessæ succurrit læva sorori,
Alternâ que vices. Modò rustica carmina cantat,
Agrestíque suum solatur voce laborem.
Interea clamat, *Cybale.* Hæc erat unica custos;
Afra genus; totâ patriam testante figurâ,
Torta comam, labróque tumens, & fusca colore,
Pectore lata, jacens mammis, compressior alvo,
Cruribus exilis, spatiosâ prodiga plantâ:
Continuis rimis calcanea scissa rigebant.
Hanc vocat, atque arsura focis imponere ligna
Imperat, & flammâ gelidos adolere liquores.
Postquam implevit opus justum versatile finem,
Transfert indè manu fusas in cribra farinas,
Et quatit; ac remanent summo purgamina dorso;
Subsidit sincera, foraminibúsque liquatur
Emundata Ceres. lævi tum protinus illam
Componit tabulâ, tepidas superingerit undas:
Contrahit admistos tum fontes, atque farinas

Transf-

Transverſat durata manu, liquidóque coacto
Interdum grumos ſpargit ſale; jámque ſubactum
Format opus, palmíſque ſuum dilatat in orbem,
Et notat impreſſis æquo diſcrimine quadris.
Infert indè foco, (*Cybale* mundaverat aptum
Antè locum) teſtíſque tegens ſuperaggerat ignes.
Dúmque ſuas peragit Vulcanus teſtáque partes,
Simulus interea vacua non ceſſat in hora:
Verùm aliam ſibi quærit opem; neu ſola palato
Sit non grata Ceres, quas jungat, comparat eſcas.
Non illi ſuſpenſa focum carnaria juxta,
Durati ſale terga ſuis, truncíque vacabant:
Trajectus medium ſparto ſed caſeus orbem,
Et vetus adſtricti faſcis pendebat anethi.
Ergò aliam molitur opem ſibi providus heros.
Hortus erat junctus caſulæ, quem vimina pauca,
Et calamo redimita levi munibat arundo;
Exiguus ſpatio, variis ſed fertilis herbis.
Non illi decrat quod pauperis exigit uſus.
Interdum locuples à paupere plura petebat.
Nec ſumptûs erat illud opus, ſed regula curæ:
Si quando vacuum caſulâ pluviæve tenebant,
Feſtáve lux, ſi fortè labor ceſſaret aratri,
Horti opus illud erat. Varias diſponere plantas
Nôrat, & occultæ committere ſemina terræ,
Vicinóſque aptè curâ ſubmittere rivos.
Hîc olus, hîc latè fundentes brachia betæ,
Fœcundúſque rumex, malvæque inulæque virebant:
Hîc ſiſer, & capiti nomen debentia cæpe:
Hîc etiam nocuum capiti gelidúmque papaver,
Gratáque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demiſſa cucurbita ventrem.

Verùm

Verùm hic non domini, (quis enim contractior illo?)
Sed populi proventus erat, certísque diebus
Venales olerum fasces portabat in urbem.
Indè domum cervice levis, gravis ære redibat,
Vix unquam urbani comitatus merce macelli.
Cæpa rubens sectíque famem domat area porri,
Quæque trahunt acri vultus nasturtia morsu,
Intubáque, & Venerem revocans eruca morantem.
Tum quoque tale aliquid meditans intráverat hortum.
Ac primùm leviter digitis tellure refossâ,
Quattuor educit cum spissis halia fibris:
Indè comas apii graciles, rutámque virentem
Vellit, & exiguo coriandra trementia filo.
Hæc ubi collegit, lætum consedit ad ignem,
Et clarâ famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum numeroso cortice nudat,
Et summis spoliat coriis, contemptáque passim
Spargit humi, atque abicit. Servatum gramine bulbum
Tingit aquâ, lapidísque cavum demittit in orbem.
Hinc salis inspergit micas; sale durus adeso
Caseus adjicitur; dictas superingerit herbas,
Et lævâ vestem tetosa sub inguina fulcit.
Dextera pistillo primùm fragrantia mollit
Halia: tum pariter misto terit omnia succo.
It manus in gyrum: paulatim singula vires
Deperdunt proprias: color est è pluribus unus;
Nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant;
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Sæpe viri nares acer jaculatur apertas
Spiritus, & simo damnat sua prandia vultu.
Sæpe manu summâ lacrymantia lumina tergit,
Immeritóque furens dicit convitia fumo.

Proce-

Procedebat opus. non jam ſalebroſus, ut antè,
Sed gravior lentos ibat piſtillus in orbes.
Ergò *Palladii* guttas inſtillat olivi,
Exiguíque ſuper vires infundit aceti,
Atque iterum commiſcet opus, miſtúmque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit, ínque globum diſtantia contrahit unum;
Conſtet ut effecti ſpecies, noménque *Moreti.*
Eruit interea *Cybale* quoque ſedula panem;
Quem lotis recipit manibus: pulſóque timore
Jam famis, ínque diem ſecurus, *Simulus* illum
Ambit crura ocreis paribus, tectúſque galero,
Sub juga parentes cogit lorata juvencos,
Atque agit in ſegetes, & terræ condit aratrum.

CASSII PARMENSIS

(Virgilii *æqualis*)

ORPHEUS.

ARguta primùm cùm plectra parentis, & auro
Distinctam sumpsit citharam *Rhodopeïus* heros ;
Ridebant segnes pulsus, digitósque micantes
Seriùs, & chordis indoctæ dissona vocis.
Mox pudor exardens, & gloria dulcis honesti,
Lusibus avertit puerilibus ; omnis & illuc
Perditus incumbens Musæ pallebat amore.
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus, hinc, illinc, discens dependet utrinque.
Nulla *Venus* faciem cepit mentita dolosis
Compedibus ; somni fuerat parcúsque *Lyæi :*
Donec, ridiculus dudum, modulamine sylvas
Evulsósque suis scopulos radicibus egit.
Ausus & ire viam viventibus inconcessam,
Pœnarum oblitos demulsit carmine Manes.
Non levis adscensus, si quis petit ardua. Sudor
Plurimus hunc tollit ; nocturno exsomnis olivo
Immoritur ; delet quod mox laudaverat in se,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

M. A.

M. A. LUCANI
SCÆVA,
è Lib. VI.

UT primùm libuit ruptis evadere clauſtris
Pompeio, cunctáſque ſibi permittere terras;
Non obſcura petit latebroſæ tempora noctis,
Et raptum furto ſoceri ceſſantibus armis
Dedignatur iter: latis exire ruinis
Quærit, & impulſo turres confringere vallo,
Pérque omnes gladios, & quà via cæde paranda eſt.
Opportuna tamen valli pars viſa propinqui,
Quam *Minuti caſtella* vocant, & confraga denſis
Arboribus dumeta tegunt. huc, pulvere nullo
Proditus, agmen agit, ſubitúſque ad mœnia venit.
Tot ſimul è campis *Latiæ* ſulsêre volucres;
Tot cecinêre tubæ: nè quid victoria ferro
Deberet, pavor attonitos confecerat hoſtes.
Quod ſolum valuit virtus, jacuêre perempti
Debuerant quo ſtare loco: qui vulnera ferrent
Jam deerant, nimbúſque ferens tot tela peribat.
Tum piceos volvunt immiſſæ lampadis ignes:
Tum quaſſæ nutant turres, lapsúmque minantur.
Roboris impacti crebros gemit agger ad ictus.
Jam *Pompeianæ* celſi ſuper ardua valli
Exierant Aquilæ; jam mundi jura petebant.
Quem non mille ſimul turmis, nec *Cæſare* toto

Auſi

Auferret Fortuna locum, victoribus unus
Eripuit, vetuítque capi: ſéque arma tenente,
Ac nondum ſtrato, *Magnum* viciſſe negavit.
SCÆVA viro nomen: caſtrorum in plebe merebat
Ante feras *Rhodani* gentes: ibi ſanguine multo
Promotus *Latiam* longo gerit ordine vitem.
Pronus ad omne nefas, & qui neſciret, in armis
Quàm magnum virtus crimen civilibus eſſet.
Hic, ubi quærentes ſocios, jam Marte relicto,
Tuta fugæ cernit, Quò vos pavor (inquit) abegit
Impius, & cunctis ignotus *Cæſaris* armis?
O famuli turpes, ſervum pecus, abſque cruore
Terga datis morti? cumulo vos deeſſe virorum
Non pudet, & buſtis intérque cadavera quæri?
Non irâ ſaltem, juvenes, (pietate remotâ)
Stabitis? è cunctis, per quos erumperet hoſtis,
Nos ſumus electi. Non parvo ſanguine *Magni*
Iſta dies ierit. Peterem felicior umbras
Cæſaris in vultu. teſtem hunc Fortuna negavit:
Pompeio laudante cadam. Confringite tela
Pectoris incurſu, jugulíſque retundite ferrum.
Jam longinqua petit pulvis, ſonitúſque ruinæ,
Securáſque fragor concuſſit *Cæſaris* aures.
Vincimus, O ſocii; veniet qui vendicet arces,
Dum morimur. Movit tantum vox illa furorem,
Quantum non primo ſuccendunt claſſica cantu:
Mirantéſque virum, atque avidi ſpectare, ſequuntur
Sciturí juvenes, numero deprênſa locóque,
An plus quàm mortem virtus daret. Ille ruenti
Aggere conſiſtit; primúmque cadavera plenis
Turribus evolvit, ſubeuntéſque obruit hoſtes
Corporibus: totæque viro dant tela ruinæ,

Robo-

Roboráque, & moles; hosti séque ipse minatur.
Nunc sude, nunc duro contraria pectora conto
Detrudit muris; & valli summa tenentes
Amputat ense manus; caput obterit, ossáque saxo,
Ac malè defensum fragili compage cerebrum
Dissipat; alterius flammâ crinésque genásque
Succendit: strident oculis ardentibus ignes.
Ut primùm cumulo crescente cadavera murum
Admovêre solo, non segnior extulit illum
Saltus, & in medias jecit super arma catervas,
Quàm per summa rapit celerem venabula pardum.
Tunc densos inter cuneos compressus, & omni
Vallatus bello, vincit, quem respicit, hostem.
Perdidit ensis opus, frangit sine vulnere membra.
Illum tota premit moles, illum omnia tela.
Nulla fuit non certa manus, non lancea felix.
Párque novum Fortuna videt concurrere, Bellum
Atque Virum. fortis crebris sonat ictibus umbo:
Et galeæ fragmenta cavæ compressa perurunt
Tempora. nec quicquam nudis vitalibus obstat
Jam, præter stantes in summis ossibus hastas.
Quid nunc, vesani, jaculis levibúsque sagittis
Perditis hæsuros nunquam vitalibus ictus?
Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis
Obruat, aut valli muralia pondera saxi:
Hunc aries ferro, ballistáque limine portæ
Summoveat. stat non fragilis pro *Cæsare* murus,
*Pompeiúm*que tenet. jam pectora non tegit armis:
Ac veritus credi clypeo, lævâque vacâsse,
Aut culpâ vixisse suâ, tot vulnera belli
Solus obit, densámque ferens in pectore sylvam,
Jam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem,

Par

Par pelagi monſtris. *Libycæ* ſic bellua terræ,
Getulus denſis elephas oppreſſus ab armis,
Omne repercuſſum ſqualenti miſſile tergo
Frangit, & hærentes motâ cute diſcutit haſtas.
Viſcera tuta latent penitùs ; citráque cruorem
Confixæ ſtant tela feræ : tot facta ſagittis,
Tot jaculis, unam non explent vulnera mortem.
Dictæâ procul (ecce) manu *Gortynis* arundo
Tenditur in *Scævam*, quæ voto certior omni
In caput, atque oculi lævum deſcendit in orbem.
Ille moras ferri, nervorum & vincula rumpit,
Affixam vellens oculo pendente ſagittam
Intrepidus, telúmque ſuo cum lumine calcat.
Pannonis haud aliter poſt ictum ſævior urſa,
Cùm jaculum parvâ *Libys* amentavit habenâ,
Se rotat in vulnus ; telúmque irata receptum
Impetit, & ſecum fugientem circuit haſtam.
Perdiderat vultum rabies ; ſtetit imbre cruento
Informis facies. lætus fragor æthera pulſat
Victorum. majora viris de ſanguine parvo
Gaudia non faceret conſpectum in *Cæſare* vulnus.
Ille tegens altâ ſuppreſſum mente dolorem,
Mitis, & à vultu penitùs virtute remotâ,
Parcite, ait, cives ; procul hinc avertite ferrum :
Collatura meæ nil ſunt jam vulnera morti :
Non eget injectis, ſed vulſis pectore telis.
Tollite, & in *Magni* viventem ponite caſtris :
Hoc veſtro præſtate Duci. ſit *Scæva* relicti
Cæſaris exemplum, potiùs quàm mortis honeſtæ.
Credidit infelix ſimulatis vocibus *Aulus*,
Nec vidit recto gladium mucrone tenentem ;
Membráque captivi pariter laturus & arma,

Fulmineum mediis excepit faucibus enſem.
Incaluit virtus; atque unâ cæde refectus,
Solvat, ait, pœnas, *Scævam* quicunque ſubactum
Speravit: pacem gladio ſi quærit abiſto
Magnus, adorato ſubmittat *Cæſare* ſigna.
An ſimilem veſtrî, ſegnémque ad fata putâſtis?
Pompeii vobis minor eſt, cauſæque Senatûs,
Quàm mihi mortis amor. Simul hæc effatus, & alta
Cæſareas pulvis teſtatur adeſſe cohortes.
Dedecus hic bello *Magni*, criménque remiſit,
Nè ſolum totæ fugerent te, *Scæva*, catervæ;
Subducto qui Marte ruis: nam ſanguine fuſo
Vires pugna dabat. Labentem turba ſuorum
Excipit, atque humeris defectum imponere gaudet.
Ac velut incluſum perfoſſo in pectore Numen,
Et vivam magnæ ſpeciem Virtutis adorant:
Teláque confixis certant evellere membris;
Exornántque Deos, ac nudum pectore *Martem*
Armis, *Scæva*, tuis. felix hoc nomine famæ,
Si tibi durus *Iber*, aut ſi tibi terga dediſſet
Cantaber exiguis, aut longis *Teutonus* armis.
Non tu bellorum ſpoliis ornare Tonantis
Tecta potes, non tu lætis ululare triumphis.
Infelix, quantâ Dominum virtute parâſti!

M. M

M. MANILII

PERSEUS VINDEX,

è Lib. V. Astron.

Andromeda sequitur fidus, quæ Piscibus ortis
Bis sex in partes cœlo venit aurea dextro.
Hanc quondam pœnæ dirorum culpa parentum
Prodidit, infestus totis quum finibus omnis
Incubuit pontus, timuit quum naufraga tellus.
Proposita est merces, vesano dedere ponto
Andromedam, teneros ut bellua manderet artus.
Hic *Hymenæus* erat, solâque in publica damna
Pro natis lacrymans ornatur victima pœnâ,
Induitúrque sinus non hæc in vota paratos,
Virginis & vivæ rapitur sine funere funus.
At simul infesti ventum est ad littora ponti,
Mollia per duras panduntur brachia cautes.
Astrinxêre pedes scopulis, injectáque vinc'la,
Et cruce virgineâ moritura puella pependit.
Servatur tamen in pœna vultúsque pudórque.
Supplicia ipsa decent. niveâ cervice reclinis
Molliter ipsa suæ custos est sola figuræ.
Defluxêre sinus humeris, fugítque lacertos
Vestis, & effusi scopulis hæsêre capilli.
Tecircum Alcyones pennis planxêre volantes,
Flevertúntque tuos miserando carmine casus,
Et tibi contextas umbram fecêre per alas.

Ad tua ſuſtinuit fluctus ſpectacula pontus,
Aſſuetáſque ſibi deſiit perfundere ripas.
Extulit & liquido *Nereïs* ab æquore vultum;
Et, caſus miſerata tuos, roravit & undas.
Ipſa, levi flatu refovens pendentia membra,
Aura per extremas reſonavit flebilè rupes.
Tandem *Gorgonei* victorem *Perſea* monſtri
Felix illa dies redeuntem ad littora duxit.
Iſque, ubi pendentem vidit de rupe puellam,
Diriguit facie, quem non ſtupefecerat hoſtis.
Víxque manu ſpolium tenuit, victórque *Meduſæ*
Victus in *Andromeda* eſt. jam cautibus invidet ipſis;
Felicéſque vocat, teneant quæ membra, catenas.
At poſtquam pœnæ cauſam cognovit ab ipſa,
Deſtinat in thalamos per bellum vadere ponti,
Altera ſi *Gorgo* veniat, non territus ire.
Concitat aërios curſus, flentéſque parentes
Promiſſu vitæ recreat, pactúſque maritum
Ad littus remeat. Gravidus jam ſurgere pontus
Cœperat, & longo fugiebant agmine fluctus
Impellentis onus monſtri. Caput eminet undas
Scindentis, pelagúſque movet. circumſonat æquor
Dentibus, ínque ipſo rapidum mare navigat ore.
Hinc vaſtis urgent immenſi torquibus orbes,
Tergáque conſumunt pelagus. ſonat undique Syrtis,
Atque ipſi metuunt montes ſcopulíque ruentem.
Infelix virgo, quamvis ſub vindice tanto,
Quæ tua tunc fuerat facies? ut fugit in auras
Spiritus? ut toto caruerunt ſanguine membra?
Quum tua fata cavis è rupibus ipſa videres,
Adnantémque tibi pœnam, pelagúſque ferentem,
Quantula præda maris? Sed pennis ſubvolat altè

Perſe-

erſeùs, & cœlo pendens jaculatur in hoſtem,
orgoneo tinctum deſigens ſanguine ferrum.
lla ſubit contrà aſſurgens, converſáque frontem
rigit, & tortis innitens orbibus altè
micat, ac toto ſublimis corpore fertur.
ed quantum illa ſubit ſemper jaculata profundo,
tantum revolat, laxúmque per æthera ludit
erſeùs, & Ceti ſubeuntis verberat ora.
ec cedit tamen illa viro, ſed ſævit in auras
orſibus, & vani crepitant ſine vulnere dentes.
ffiat & in cœlum pelagus; mergítque volantem
nguineis undis, pontúmque extollit in aſtra.
ectabat pugnam pugnandi cauſa puella;
mque oblita ſui, metuit pro vindice tali
ſpirans, animóque magis quàm corpore pendet.
andem confoſſis ſubſedit bellua membris,
ena maris, ſummas iterúmque renavit ad undas,
magnum vaſto contexit corpore pontum;
unc quoque terribilis, nec virginis ore videnda.
rfudit liquido *Perſeus* in marmore corpus,
ajor & ex undis ad cautes pervolat altas,
lvítque hærentem vinc'lis de rupe puellam
ſponſam pugnâ, nupturam dote mariti.
ic dedit *Andromedæ* cœlum, ſtellíſque ſacravit
ercedem tanti belli, quo concidit ipsâ
rgone non levius monſtrum, pelagúſque levavit.

M. HIERONYMI VIDÆ *Cremonenſis*

SCACCHIA Ludus.

[Anglicè Chess-play.]

Ludimus effigiem Belli, ſimulatáque veris
Prælia, buxo acies fictas, & ludicra regna;
Ut gemini inter ſe Reges, albúſque nigérque,
Pro laude oppoſiti certent bicoloribus armis.
Dicite, *Seriades* Nymphæ, certamina tanta,
Carminibus prorſus vatum illibata priorum.
Nulla via eſt. tamen ire juvat quò me rapit ardor;
Inviáque audaci propero tentare juventâ.
Vos per inacceſſas rupes & inhoſpita euntem
Saxa, Deæ, regite, ac ſecretum oſtendite callem.
Vos hujus ludi in primis meminiſſe neceſſe eſt:
Vos primæ ſtudia hæc *Italis* monſtrâſtis in oris,
Scacchidis egregiæ monimentum inſigne ſororis.
Juppiter Æthiopum ſedes & *Memnonis* arva
Iverat, *Oceani* menſas dignatus amici,
Qui ſibi tum optatis junxit *Tellurem* Hymenæis.
Affuit unà omnis ſuperûm chorus. omnia feſto
Æquoris immenſi reſonabant littora plauſu.
Ut dapibus compreſſa fames, menſæque remotæ,
Quo ſuperûm mentes ludo mulceret inani,
Oceanus tabulam adferri jubet interpictam.
Sexaginta inſunt & quattuor ordine ſedes;
Octono parte ex omni via limite quadrat

Ordi-

Ordinibus paribus: nec non forma omnibus una
Sedibus, æquale & ſpatium, ſed non color unus.
Alternant ſemper variæ, ſubeúntque viciſſim
Albentes nigris; teſtudo picta ſupernè
Qualia devexo geſtat diſcrimina tergo.
Tum ſuperis tacitè ſecum mirantibus inquit:
Marti aptam ſedem, ludicráque caſtra videtis.
Hoc campo adverſas acies ſpectare licebit
Oppoſitis ſignis belli ſimulacra ciere:
Quæ quondam ſub aquis gaudent ſpectac'la tueri
Nereïdes, vaſtíque omnis gens accola ponti,
Siquando placidum mare, & humida regna quiêrunt.
En verò, ſimulata adſunt qui prælia ludant.
Sic ait, & verſa in tabulam deprompſit ab urna
Arte laboratam buxum, ſimulatáque noſtris
Corpora, torno acies fictas, albáſque nigráſque,
Agmina bina pari numeróque, & viribus æquis,
Bis nivea cum veſte octo, totidémque nigranti.
Ut variæ facies, pariter ſunt & ſua cuique
Nomina, diverſum munus, non æqua poteſtas.
Illic & Reges paribus capita alta coronis,
Et Regum pariter Nuptas in bella paratas
Cernere erat. ſunt qui pedibus certamina inire
Sueti; ſunt & equis qui malint, quíque ſagittis:
Nec deeſt quæ ferat armatas in prælia turres,
Bellua; utrinque *Indos* credas ſpectare Elephantes.
Jámque aciem in verſum ſtatuunt, ſtructæque cohortes
Procedunt campo, caſtríſque locantur utríſque.
Linea principio ſublimes ultima Reges
Parte utrâque capit, quartis in ſedibus ambos
Tractu eodem adverſos inter ſe; ſex tamen æquis
In medio ſedes ſpatiis hinc indè relictæ.

Sede albus ſeſe nigrâ tenet, ater in alba.
Proxima Reginas capit orbita. Regibus ambæ
Hærent quæque ſuo: dextrum latus altera, lævum
Altera, lege datis tangunt ſtationibus; atrúmque
Atra tenet campum, ſpatio ſtat candida in albo,
Et proprium ſervant primâ ſtatione colorem.
Indè Sagittiferi juvenes de gente nigranti
Stant gemini, totidem pariter candore nivali:
Nomen Areïphilos *Graii* fecêre vocantes,
Quòd *Marti* ante alios chari fera bella laceſſant.
Continuò hos inter Rex nec non Regia conjunx
Clauduntur medii. Duo dehinc utrinque coruſci
Auratis Equites ſagulis, criſtíſque decori,
Cornipedes in aperta parant certamina Martis.
Tum geminæ, velut extremis in cornibus, arces
Hinc atque hinc altis ſtant propugnacula muris,
Quas dorſo immanes geſtant in bella Elephanti.
Poſtremò ſubeunt octo hinc atque indè ſecundis
Ordinibus Pedites, caſtríſque armantur utríſque,
Armigeri partim Regis, partímque miniſtræ
Virginis armiſonæ; quæ prima pericula belli,
Congreſſúſque incant primos, pugnámque laceſſant.
Non aliter campis legio ſe buxea utrinque
Compoſuit, duplici digeſtis ordine turmis,
Adverſísque ambæ fulsêre coloribus alæ,
Quàm *Gallorum* acies *Alpino* frigore lactea
Corpora ſi tendant albis in prælia ſignis
Auroræ populos contra, & *Phaëthonte* peruſtos
Inſano *Æthiopas*, & nigri *Memnonis* alas.
Tum pater *Oceanus* rurſus ſic ore locutus.
Cœlicolæ, jam quænam acies, quæ caſtra videtis:
Diſcite nunc (neque enim ſunt hæc ſine legibus arma)

Certan-

Certandi leges, nequeant quas tendere contra.
Principio, alterni Reges in prælia mittunt
Quem pugnæ numero ex omni elegêre ſuorum.
Si niger arma ferens primus proceſſit in æquor,
Continuò adverſum ſemper ſe candidus offert:
Nec plures licet ire ſimul facto agmine in hoſtem.
Propoſitum cunctis unum, ſtudium omnibus unum,
Obſeſſos Reges inimicæ claudere gentis,
Nè quò impunè queant fugere, atque inſtantia fata
Evitare: etenim capiunt ità prælia finem.
Haud tamen interea cuneis obſtantibus ultro
Parcunt, ſed citiùs quò Regem ſternere letho
Deſertum evaleant, cædunt ferro obvia paſſim
Agmina. rareſcunt hîc illic funere ſemper
Utraque caſtra novo; magis ac magis area belli
Picturata patet; ſternúntque cadúntque viciſſim.
Sed cædentem opus eſt ſublati protinus hoſtis
Succeſſiſſe loco, & conatus vindicis alæ
Suſtinuiſſe ſemel. mox, ſi vitaverit ictum,
Indè referre licet ſe in tutum præpete plantâ.
At Pedites prohibent leges certaminis unos,
Cùm ſemel exierint, (facilis jactura) reverti.
Nec verò inceſſus cunctis bellantibus idem,
Pugnandíve modus. Pedites in prælia euntes
Evaleant unam tantùm tranſmittere ſedem;
Inque hoſtem tendunt adverſi, & limite recto.
Congreſſu tamen in primo fas longiùs ire,
Et duplicare gradus conceſſum. at cominus hoſtem
Cùm feriunt, ictum obliquant, & vulnera furtim
Intentant ſemper lateri, caváque ilia cædunt.
Sed gemini claudunt aciem qui hinc indè Elephanti,
Cùm turres in bella gerunt, ac prælia miſcent,

Recta

Rectâ fronte valent dextrâ, lævâque, retróque
Ferre aditum contra, campúmque impunè per omnem
Proruere, ac totis passim dare funera castris.
Nè tamen obliquis occultent nixibus ictum;
Qui tantùm mos conceſſus pugnantibus Arcu,
Dilectis *Marti* ante allos. nam ſemper uterque
Fertur in obliquum; ſpatiis nigrantibus alter,
Alter candenti ſemper ſe limite verſat;
Directíſque ineunt ambo fera bella ſagittis:
Nec variare licet; quamvis fas ire per omnem
Hinc atque hinc campum, atque omnes percurrere ſedes.
Inſultat Sonipes ferus, atque repugnat habenis.
Nunquam continuo ſtipata per agmina ductu
Procurrit: tantùm ſurſum ſeſe arduus effert
Semper, & in gyrum greſſus magno impete lunat
Curvatos; duplicémque datur tranſmittere ſedem.
Si nigrante priùs campo exſpectaverit, album
Mox petere, & ſedis ſemper mutare colorem
Lex jubet, ac certo ſemper ſe ſiſtere ſaltu.
At Regina furens animis, pars optima belli,
In frontem, in terga, ac dextram lævámque movetur,
Itque iter obliquum: ſed ſemper tramite recto
Procedit; neque enim curvato inſurgere ſaltu
Cornipedum de more licet. non terminus olli,
Nec curſûs meta ulla datur: quócunque libido
Impulerit, licet ire; modò nè ex agmine quiſquam
Hoſtilíve, ſuóve, aditus occludat eunti.
Nulli etenim ſuper educto fas agmina ſaltu
Tranſiliiſſe, Equiti tantùm hæc conceſſa poteſtas.
Cautiùs arma movent gentis Regnator uterque,
In quibus eſt omnis ſpes, ac fiducia belli.
Omnibus incolumi Rege ſtat cernere ferro;

Sub-

Sublato, pugnâ excedunt, & caſtra relinquunt:
Ille adeò in bello captus ſecum omnia vertit.
Ergò hærens cunctatur; eum venerantur, & omnes
Agmine circumſtant denſo, mediúmque tuentur.
Utque armis ſæpe eripiant, ſua corpora bello
Objiciunt, mortémque optant pro Rege paciſci.
Non illi ſtudium feriendi, aut arma ciendi:
Se tegere eſt ſatis, atque inſtantia fata cavere.
Haud tamen obtulerit ſe quiſquam impùnè propinquum
Obvius; ex omni nam ſummum parte nocendi
Jus habet. Ille quidem haud procurrere longiùs auſit;
Sed poſtquam auſpiciis primis progreſſus ab aula
Mutavit ſedes proprias, non ampliùs uno
Ulteriùs fas ire gradu, ſeu vulneret hoſtem,
Seu vim tela ferant nullam, atque innoxius erret.
His mos certandi, hæc belli antiquiſſima jura.
Nunc aciem inter ſe certantes cernite utramque.
Sic ait. At quoniam, quoties fera bella fatigant
Mortales, ſuperi, ſtudiis diverſa foventes,
Ipſi etiam inter ſeſe odiis bellantur iniquis,
Maximáque interdum toto ardent prælia cœlo:
Juppiter omnipotens ſolio rex fatus ab alto,
Omneis abſtinuiſſe jubet mortalibus armis;
Atque minis, nè quem foveant, perterret acerbis.
Tùm ***Phœbum*** vocat intonſum, *Atlantis*que nepotem,
Egregium furto, peperit quem candida *Maia*;
Inſignes ambos facie, & florentibus annis.
Nondum ***Mercurius*** levibus talaria plantis
Addiderat: nondum *Titania* lumina agebat
Per liquidum curru geminato *Phœbus* olympum;
Tantùm humeros pharetrâ inſignis & crinibus aureis.
Hos pater adverſis ſolos decernere juſſit

Inter

Inter ſe ſtudiis, & ludicra bella ſovere,
Ac partes tutari ambas, quas vellet uterque.
Nec non propoſuit victori præmia digna.
Dii magni ſedêre; Deûm ſtat turba minorum
Circumfuſa. cavent ſed lege, & fœdere pacto,
Nè quiſquam voce aut nutu ludentibus auſit
Prævifos monſtrare ictus. Quem denique primum
Sors inferre aciem vocet, atque invadere Martem,
Quæſitum: primúmque locum certaminis albo
Ductori tulit, ut quem vellet primus in hoſtem
Mitteret. id ſanè magni referre putabant.
Tum tacitus ſecum verſat quem ducere contra
Conveniat, Peditémque jubet procedere campum
In medium, qui Reginam dirimebat ab hoſte.
Ille gradus duplices ſuperat. cui tum Arbiter ater
Ipſe etiam adverſum recto de gente nigranti
Tramite agit Peditem, atque jubet ſubſiſtere contra
Advenientem hoſtem, paribúſque occurrere in armis.
Stant ergò adverſis inter ſe frontibus ambo
In mediis campi ſpatiis, ac mutua tentant
Vulnera nequicquam. neque enim vis ulla nocendi eſt
Armigeris, tactu dum miſcent prælia eodem.
Subſidio ſocii dextrâ lævâque frequentes
Hinc atque hinc ſubeunt, latè & loca milite complent,
Alternántque vices. nec dum tamen horrida miſcent
Prælia, ſed placidus mediis Mars ludit in armis.
Excurſúsque breves tentant, tutíque tenent ſe.
Jámque Pedes nigri Rectoris, qui prior hoſtem
Contra iit, obliquum lævâ clàm ſtrinxerat enſem,
Atque album è mediis Peditem citus abſtulit armis,
Illiúſque locum arripuit præſtantibus auſis.
Ah miſer! inſtantem lateri non viderat hoſtem.

Ipſe

Ipſe etiam cadit, & pugnas in morte relinquit.
Tum cautus fuſcæ Regnator gentis ab aula
Subduxit ſeſe media, penitúſque repôſtis
Caſtrorum latebris extrema in fauce recondit,
Et Peditum cuneis ſtipantibus abditus hæſit.
Nec mora, ſurgit Eques bellator lævus utrinque,
Et mediis hinc indè inſultant cœtibus ambo,
Alterníque ruunt, & ſpargunt fata per hoſtes.
Sternuntur Pedites paſſim, miſeranda juventus,
Quòd nequeant revocare gradum. ſonat ungula campo
In medio, & totis miſcentur funera caſtris.
Dum verò Peditum intentus *Latonius* heros
Cædibus inſtat atrox, Equitémque per agmina verſat
Vaſtatorem alæ piceæ, longè *Arcada* major
Ardor agit tacitis jamdudum invadere furtis
Magnum aliquid, Peditúmque ultra ſæpe obvia tranſit
Agmina, Cornipedem ducens in prælia lævum;
Qui Regi inſidias tendens huc vertitur, atque huc,
Per mediósque hoſtes impunè infrænis oberrat.
Conſtitit, optatâque diu ſtatione potitus,
Lethum intentabat pariter Regíque, Elephantíque
Alæ qui dextro cornu turritus in auras
Attollens caput ingenti ſe mole tenebat.
Delius ingemuit, clauſo ſuccurrere Regi
Admonitus; namque indefenſum in morte Elephantem
Linquere ſe videt, atque ambos non poſſe perclo
Eripere, & fatis urgeri cernit iniquis.
Cura prior ſed enim eſt trepidum defendere Regem,
Quem rapit in dextrum latus: at niger emicat enſe
Stricto Eques, & magnis Elephantem intercipit auſis.
Damnum ingens: neq; enim eſt ſævæ poſt Virginis arma
Bellantûm numero ex omni magis utilis alter.

Non

Non tamen impunè evades, ait acer *Apollo*;
Et Peditum cuneis, densâque indagine cingit.
Ille igitur trepidare metu, certíque perícli
Fruſtrà velle fugam: nam hinc fata minatur Amazon,
Indè obſtat conſerta phalanx. tandem altiùs acto
Virginis enſe cadit, pulchræ ſolatia mortis.
Æſtuat alba cohors latere (heu!) minùs utilis uno,
Et magìs atque magis furit acri accenſa dolore.
Sicut ubi dextrum taurus certamine cornu
Amiſit, dum ſe adverſo fert pectore in hoſtem,
Sævior in pugnam ruit, armos ſanguine & altè
Colla animoſa levans, gemitu omnis ſylva remugit:
Talis erat facies, cæſi poſt fata Elephantis,
Candentis turmæ. hinc furiis majoribus ardet
Phœbus, & ultrices hortatur in arma cohortes,
In ferrum & cædes pronus, cupidúsque nocendi;
Incautúſque ambas perdit ſine lege phalangas.
Dúmque hoſtes pariter cernat procumbere victos,
Ipſe ſuos morti indefenſos objicit ultro.
Mercurius melior furto cunctatur, & hærens
Uſque alium ex alio ſpectando prævidet ictum.
Sæpe ille ex longo meditatus fata ſuperbæ
Reginæ Peditem perdendum comminus offert,
Diſſimulátque dolos; mox pœnitet, & trahit alto
Improbus, errorem fingens, ſuſpiria corde.
Jámque Sagittiferi è dextro ſpicula cornu
Virginis in latus albentis tendebat. id hoſtis
Haud primùm ſenſit, Peditémque trahebat in atram
Lævâ aciem rerum ignarus. Verùm improba cladem
Et tantas *Erycina Venus* miſerata ruinas,
Incauto juveni furtim tacito innuit ore,
Atque oculis, (*Phœbo* nam fortè adverſa ſedebat.)

Nulla

Nulla mora, ad nutus divæ tremefactus *Apollo*
Conſtitit, atque oculis latè agmina circumſpexit;
Et ſubitò inſidias ſenſit, Peditémque retraxit,
Quem contrà impulerat dextrâ impiger, atque periclo
Reginam eripuit. Tum *Maiâ Atlantide* cretus
Littoreum caveæ conſeſſum vocibus implet,
Reginam captam ingeminans. Fremit undique turba
Cœlicolûm ſtudiis variis, ſeſéque tuetur
Phœbus, & his alto fatur de littore verbis:
Quæ porrò invidia eſt, dextram ludicra petenti
Præmia corrigere incautam, in meliúſque referre,
Cùm nec pacta vetent? Quòd ſi, *Maiâ* ſate, poſthac
Id ſedet omnino prohiberi, lege caveto;
Quíque prior fuerit digitis impulſus in hoſtem,
Sive albus piceúſve fuat, diſcrimine nullo
Ille eat, & dubii ſubeat diſcrimina Martis.
Dixit, & hæc toto placuit ſententia circo
Cœlicolis. *Venerem* obtutu clàm verſus acerbo
Juppiter increpuit. nec ſenſit filius *Arcas*.
Sed puer ingemuit labefactus corda dolore
Ingenti. vix ſe tenuit quin ludicra caſtra,
Injectíſque acies manibus confunderet ambas.
Tum ſecum ſtatuit furto certare, doliſque
Omnibus, ac totis fraudes innectere caſtris.
Jam tum igitur juvenem Pharetratum in prælia ducens,
Cornipedis ſimulare gradus jubet. ocyùs ille
Emicat, atque albæ Reginæ fata minatur.
Non *Phœbum* latuêre doli. ſubriſit, & ore
Verſus ad aſtantes, Quamvis accommoda furtis
Mercurio ſit dextra, inquit, fraudíque doliſque,
Callide *Atlantiada*, invigiles; haud me tamen ultrà
Fallere erit: jámque, improbe, iniquam corrige dextram.

Spectan-

Spectantûm cunei ingenti risêre theatro:
Atque *Arcas*, veluti deceptus imagine falsâ,
Summisit buxum concesso in prælia gressu
Arcum intendentem. Vigilat jam cautus *Apollo*,
Fraudésque insidiásque timens, occultáque furta.
Ille etenim persæpe, manu dum ducit in hostes
Alternam buxum, jus contra & fœdera pacta,
Implicitans celeres digitos, duo corpora bello
Objiciat simul, obsérvet nisi providus hostis.
Jámque Equitem contra nigrantem candidus arcum
Intendens sese opposuit Pharetratus, & arcet
Reginæ jugulo intentum. tum dexter oberrat
Huc atque huc Elephas, niveísque exsultat in armis.
Hæserat in medio, Dominæ Regíque minatus,
Albus Eques, ratus impunè, & jam sorte superbus
Nequicquam spoliorum animum pascebat amore.
Non tulit hanc spéciem juvenis Pharetratus, & arcu
Contendit calamum, seséque immittit in hostem,
Fata licèt Pedes intentet, moriturus in armis
Insigni pro laude. alvo mediâ hæsit arundo
Stridula, & ima chalybs descendit in ilia adactus.
Volvitur ille excussus humique, & calcibus auras
Verberat: in ventos vita indignata recessit.
Indè Sagittiferum sternit Pedes. hunc Pedes alter
Hostili de plebe necat. pugna aspera surgit.
Turribus occurrunt ingenti mole Elephanti;
Sæva Pharetrigeri contendunt spicula nervis;
Quadrupedúmque gemit bicolor sub verbere campus.
Incaluêre animi parte ex utraque, & in armis
Concurrunt denti. simul omnis copia gentis
Albæque, piceæque, duces, ambæque phalanges,
Confusæque acies magno certamine totis

Denſantur campis : virtus fortunâque in unum
Conveniunt. hi nunc victores agmina verſa
Æquore agunt toto ; verſis referuntur habenis
Nunc iidem ; variántque vices, & fluctuat omnis
Area bellorum : vaſti velut æquoris undæ,
Si quando inter ſe, recluſo carcere, ſæva
Bella cient animoſi Euri, vertúntque profundum
Ionio in magno, aut undiſono *Atlantéo*,
Alternos volvunt procurva ad littora fluctus.
At medias acies inter crudeſcit Amazon
Candida, plena animis, multíſque in millibus ardet.
Namq; Sagittiferum incurſans, rediénſque Elephantem
Nigrantes ſternit dextrâ, lævâque per alas
Fulminat, atque manu ſpargens haſtilia ſævit.
Bellanti dant tela locum, retróque reſidunt
Hinc atque hinc inimicæ acies. per tela, per hoſtes
Illa ruit pulchram in mortem, ſimul ultima tentat
Caſtra, fugæ fidens, animóſque in bella viriles
Sæva gerit, penetrat cuneos, aperítque viam vi.
Tandem fuſca cohors, nigrantíſque Arbiter alæ
Ipſe etiam arma ſuæ trepidus, viréſque, animóſque
Virginis implorat. Nulla eſt mora, fervida Amazon
Emicat, atque ardens, paribus ſe ſiſtit in armis.
Quem primum haſtâ, aut quem poſtremum, bellica Virgo,
Demetis ? aut quot humi candentia corpora linquis ?
Semianimes volvuntur Equi niveíque, nigríque,
Et Peditum cunei, dilectáque pectora Marti,
Aligerâ juvenes ineuntes bella Sagittâ.
Quis cladem fando illius, quis funera pugnæ,
Proſtratóſque duces ſperet ſe æquare canendo ?
Sternitur omne ſolum buxo, atque miſerrima cædes
Exoritur. confuſa inter ſeſe agmina cædunt,

Implicitæque ruunt albæ nigræque phalanges.
Sternuntur Pedites, & corpora Quadrupedantûm.
Nam verſæ inter ſe jactantes mutua tela
Fœmineis ambæ nituntur Amazones armis,
Uſque adeò certæ non cedere, donec in auras
Aut hæc, aut illa effundat cum ſanguine multo
Sævam animam, ſolâ linquentes prælia morte.
Interea amborum populorum Rector uterque
Captivos hoſtes, & victa cadavera bello,
Carcere ſervabant caſtris vicina, caventes
Nè capti ſemel, aut obitâ jam morte jacentes,
In vitam revocati iterum certamina inirent.
At lateri innixus *Phœbæo Threïcius Mars*,
Junctus amicitiâ puero *Arcadi*, ſi quid amico
Fata ſinant prodeſſe, animum per cuncta volutat,
Obſervátque omnes caſus. tum corpora bina
Capta, Pharetratum juvenem Peditémque nigrantes,
Cœtibus è ſumctis jam vitâ atque æthere caſſis
Surripit, & caſtris rurſum clàm immittit apertis.
Ergò iterum gemini captivi prælia inibant,
Miſcebántque manus animoſi, atque arma ferebant.
Haud ſecùs, (ut perhibent) cùm *Colchis* nacta cadaver
Aut virgo *Maſſyla* recens, cantúque triformem
Sæpe ciens *Hecaten*, ac magni numina *Ditis*,
Falſam animam inſinuat membris, auráſque loquaces.
Continuò erigitur corpus, loquitúrque, vidétque,
Et vivos inter fruitur cœleſtibus auris.
Non tulit indignum facinus *Junonia* proles
Mulciber, (ille dolum ſolus deprêndit) & ore
Inclamat, *Phœbúm*que monet. *Thrax* palluit heros
Deprênſus. *Phœbo* exarſit dolor oſſibus ingens.
Tum *Martî* Pater omnipotens iratus, iniqua

Præſidia

Præſidia abduci atque indebita corpora bello
Protinus è caſtris jubet, atque retexere falſos
Hinc atque indè ictus ; & cuncta in priſtina reddit.
Jámque Duces furiis ambo majoribus inſtant,
Reginásque ambas converſa per agmina mittunt.
Cæde madent illæ toto æquore fata ſerentes.
Conſidunt tandem obverſæ, Regéſque tuentur
Quæque ſuum. Ecce autem Bellatrix agminis albi
A tergo ferro invaſit, ſtravítque nigrantem
Ignaram. verùm ipſa etiam cadit icta Sagittâ,
Ah miſera ! & ſpoliis haud longùm exſultat opimis.
Convertêre oculos ambæ hinc atque indè cohortes,
Atque acies lacrymis & fœmineo ululatu
Ambas incubuiſſe putes, dum funera ducunt.
Tum Reges mœſtos ipſa ad prætoria denſi
Agglomerant ſeſe circum : timor omnibus idem
Incumbit. par tempeſtas, par hauſit utroſque
Diluvium populos, & ſunt ſua funera cuique.
Haud prorſus tamen ambobus defecerat omne
Robur : opes reſtant, & adhuc intacta juventus,
Tres Pedites tibi, *Phœbe*, Sagittifer alter, & ingens
Bellua turrito dorſo ; totidémque tibi, *Arcas*,
Excepto Elephante, alta qui nuper in aula
Pace fruens cecidit poſitis inglorius armis,
Eminus aligerâ percuſſus arundine pectus.
Sed dexter tibi reſtat Eques imperditus. hauſit
Cætera bellantùm Mars impius agmina, bellique
Alea, florentes & deſolaverat aulas.
At *Cyllenæo* juveni ſpes occidit omnis.
Æſtuat amiſſæ gentis memor, & ſuſpirat
Heroas magnos tot fato corpora functa.
Non tamen excedit pugnâ. fracta agmina bello,

Relliquias tenues immitis *Apollinis* aſtu
Cautior in pugnam mittit, poſt funera tanta
Si quâ fata ſinant gentis ſarcire ruinas.
It nigrum campis agmen ; ſtat ubique morari,
Fortunámque omnem tentare, aditúſque nocendi.
Exſultat contra non æquo prælia motu
Cynthius invadens. facies indigna cohortum,
Heu, facies miſeranda ducum ! raro agmine aperta
Caſtra patent latè, viduatæ & civibus aulæ.
Mœrebant vacuis thalamis Regnator uterque,
Jamdudum exoſi ſine conjuge tædia lecti.
Primus amor maneat quamvis immotus utriſque,
Sors tamen ad nova conjugia atque novos hymenæos
Flectit iniqua. Igitur primùm Rex agminis albi
Reginæ comites olim fidáſque miniſtras
Regali invitat thalamo, quæ, funera mœſtæ
Poſt fera bellatricis Heræ, tela irrita bello
Jactabant acies inter cuneóſque nigrantes,
Oppetere amiſſæ Dominæ pro cæde paratæ.
Sed priùs explorare auſus ſedet, atque viriles
Cunctarum ſpectare animos, ut digna cubile
Intret ; in hoſtiles ſedes atque ultima caſtra
Hortatúrque, jubétque ſupremam apprêndere metam.
Nulli fas etenim Regis ſperare cubile,
(Pacta vetant) niſi quæ, per tela invecta, per hoſtes
Tranſactis ſpatiis cunctis, impunè ſuprema
Attigerit priùs adverſi penetralia Regis.
Arrexêre animos famulæ, paritérque per hoſtes
Limitibus properant rectis. tamen ocyor anteit
Tertia quam dextro ducebat ſemita cornu,
Exſultátque, agitátque animo connubia Regis.
Nam comites ſpe ſublapsâ ceſſêre volentes.

Illa

Illa volat cœptis immanibus; addidit alas
Gloria præpetibus plantis, & plurima merces.
Nulla obſtat mora. nec facinus prohibere Tyranno
Cura nigro eſt, novâque ipſe etiam connubia tentat,
Et vacuis thalamis alias inducere nuptas.
Ergò iter alternæ accelerant; famulámque ſiniſtram
Quarto limite agit, ſaltu ſed tardior uno,
Parrhaſius juvenis. jámque imperterrita virgo
Candida, facta potens voti, penetraverat omnes
Sedes, atque alacris metâ conſederat altâ.
Tum Rector jubet afferri ſellámque tiarámque,
Extinctæ ornatus, nec non fulgentia ſceptra,
Dignatúrque toro meritam optatíſque hymenæis.
Gaudet cana cohors, inſultátque eminus atræ.
Haud lacrymas cohibet *Maiâ* ſatus, æthera voce
Inceſſens, pictóſque à pectore rupit amictus.
Nigranti famulæ tantùm gradus unus ad ipſam
Reſtabat metam, ah! miſeræ: ſed limite recto
Turritus fera fata Elephas impunè minatur
Inſurgens, ſi ſupremam contingere ſedem
Audeat, & toto caſtra obſidet ultima tractu,
Et pavidam obſervans extremis ſedibus arcet.
Interea nova regali dignata Virago
Connubio exſultans, toto dat funera campo.
Illam tollit honos novus & fortuna tumentem,
Fulminis in morem ruit, atque nigrantia ſævit
Caſtra per, & ſedes, ac ſidera territat armis.
Horreſcunt faciem inviſam nigra agmina crudæ
Virginis, atque imæ exoptant telluris hiatus.
Diffugiunt trepidi vaſto irrumpente fragore
Hoſte, metúque omnes acti glomerantur in unum
Aulæi in medio juxta latera ardua Regis.

Haud secùs alta boves sparsæ per pascua quondam,
Ut sensêre lupum venientem, protinus omnes
Conveniunt trepidæ, & fortem, facto agmine, taurum
Ductorem armenti implorant, ipsíque propinquant
Certatim inter se trudentes cornua rauco
Murmure; mugitu longè nemora alta resultant.
At Regina furens trepidos toto agmine victrix
Impingens in terga, ipsíque ante omnia Regi
Fata parans, pugnas alta ad prætoria miscet;
Nunc ruit huc, nunc huc; tunc &, nisi læva fuisset
Mens illi, poterat candentem invadere sedem
Limite in obliquum quarto, & concludere fauces.
Ultimus ille labor Regi gentíque fuisset
Nigranti, & fatis *Arcas* lugeret iniquis.
Nempe erat hinc lethi facilis via in ilia Regis,
Nec poterat quisquam se tantæ opponere cladi.
Sensit *Atlantiades* tacitus, dubióque tremebant
Corda metu; accelerare, hostem jubet improbus, ictum
Nè videat, verbísque rapit per inania mentem,
Castigátque moras: Adeón' juvat usque morari?
Nec pudor est? quæ tanta animis ignavia? sic nos
Increpitas semper cunctantes impiger ipse?
Scilicet exspectas dum nox certamina tollat?
His actus Peditem imprudens dum captat *Apollo*,
Præteriit fortunam. alacer vocem extulit altis
Lætitiâ exsiliens *Cyllenius*. indè peric'lo
Regem ipsum eripiens, opponit Amazonis armis
Haud invitum Equitem, qui sævos arceat ictus.
Tum secum meditans candenti lethum Elephanti,
Qui metâ arcebat famulam, nè Regis iniret
Concessos thalamos, curvato perculit Arcu.
Concidit, atque ictu tellurem bellua vasto

Pulsavit

Pulſavit moriens, dum Regi intentat *Apollo*
Nequicquam exitium. Tum metam impunè miniſtra
Nigra tenet, (nec *Phœbus* obeſt) jam regia Conjux,
Jámque alacres paribus certamina viribus ambo
Rurſum ineunt, Nuptáſque ferunt in bella ſecundas.
Tum, quanquam ambiguæ ſpes ſint, incertáque belli
Alea adhuc, tamen, ac ſi palmæ certus, & omne
Diſcrimen poſitus ſit ſupra, gaudia ficto
Ore puer *Maiæ* ſimulat, verbíſque ſuperbit
Improbus inſultans, aſtûs genus, & ſua creber
Vocibus extollens, albæ premit arma cohortis.
Quem ſic deprênsâ juvenis *Latonius* arte
Increpitat: Nondum extremam dubio ultima bello
Impoſuit fortuna manum, & jam voce ſuperbis.
Proinde mihi inſulta, & tumidis reple omnia verbis,
Certa tuum annuerit tibi cùm victoria Martem.
Sed jam nulla mora eſt: tua nunc, nunc irrita faxo
Dicta manu. Hæc fatus Reginam hortatur in hoſtes.
Continuò exoritur magnum certamen, & ingens
Hinc atque hinc rabies, dum fixum vincere utriſque.
Audentes in tela ruunt. ſtat multus ubique
Terror, ubique pavor, mortíſque ſimillima imago.
Nituntur cuncti adverſi, ſeſéque viro vir
Obtulit: invigilant caſtris avertere peſtem
Quiſque ſuis, hoſtémque fugant, hoſtiliáque ipſi
Caſtra petunt, variántque vices, fortunáque ludit
Spe cupidos, & corda moræ impatientia torquet.
Funera ſpargebat fuſcæ Regina cohortis
Per medias animoſa acies. Non æmula contrà
Oppoſuit ſeſe Virgo, ſed calle per hoſtes
Secreto interea Regis tendebat ad alta
Limina. dein ſubitò captis cuſtodibus arcis

Irruit, atque aditus irrumpens obſidet aulam,
Intentátque necem Regi. Tum nigra Virago,
Poſtquam altis vidit canam in penetralibus hoſtem,
Cædę madens, ſtrages citò linquit & imperfecta
Funera, & acta pedem retro exanimata repreſſit:
Nec timuit mediam ſe certæ opponere morti,
Et patriæ & trepido properans ſuccurrere Regi.
Hîc aliud majus *Phœbo*, graviúſque dolendum,
Objicitur. nam Cornipedem *Cyllenius* atrum
Huc illuc agitans, campo inſultabat aperto.
Ardet equus, ſaltúque furit; nec deſtitit auſis,
Donec, Reginæ pariter Regíque minatus,
Optatam tenuit ſedem, exitióque futurus
Aut huic, aut illi, nigrantibus obſtitit armis.
Ut vidit, triſti turbatus pectore *Apollo*
Ingemuit, largúſque genis non defuit humor.
Et jam jam labi atque retro ſublapſa referri
Spes omnis; fluxæ vires, averſa deûm mens.
Arcas ſucceſſu exſultans, ac munere divûm
Lætus, ovánſque, animum vocémque ad ſidera tollit;
Et tandem rediit vigor in præcordia victo.
Protinus incluſam feriens ſub tartara mittit
Reginam, & ſpoliis potitur non ſegnis opimis.
Tantùm olli bellator Equus cadit, ilia toſſus
Ultoris ferro Regis. nondum tamen exſpes
Phœbus abit, ſed pugnat adhuc; atque agminis albi
Relliquiæ, Pedites duo, & Arcu inſignis eburno
Martis amor juvenis. nequicquam bella laceſſunt.
Audentes facit amiſſæ ſpes lapſa ſalutis,
Succurrúntque duci labenti in funera. Sed non
Talibus auxiliis, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget. toto *Maiá* fatus æquore ſævit.

Inſtat

Inſtat vi multâ nigra Virgo, ſeptáque Regis
Circuit excidium intentans, hàc perfurit atque hác:
Nec requievit enim, donec certamine iniquo
Relliquias gentis candentis, & ultima bello
Auxilia abſumpſit. Medio Rex æquore inermis
Conſtitit, amiſſis ſociis: velut æthere in alto
Expulit ardentes flammas ubi lutea bigis
Luciferis aurora, tuus pulcherrimus ignis
Lucet adhuc, *Venus*, & cœlo mox ultimus exit.
Nulla ſalus illi ſuperat, ſpes nulla ſalutis:
Non tamen excedit victus, ſed claudere ſeſe
Hoſtiles inter cuneos impunè per enſes
Actus avet, donec nuſquam ſpatia ulla ſuperſint
Effugiis. Nam ſi nemo illi fata minetur,
Nec ſuperet ſedes, quam impunè capeſſere poſſit,
Nil tantorum operum impenſis foret omnibus actum,
Sed labor effuſus fruſtrà, viréſque fuiſſent;
Nec titulos quiſquam, aut victoris nomen haberet.
Ergò per vacuas ſedes deſertáque caſtra,
Nunc huc, rurſum illuc incertos implicat orbes
Diffugiens. Niger inſequitur Rex æquore toto,
Atque fugæ ſemper ſpatiúmque abitúmque relinquit.
Pòſt, ubi ſupremo tendentem limite greſſum
Vidit, Reginam ſedes ſervare ſecundas
Juſſit, ab anguſtis nè ſe ille abducere poſſet
Ordinibus: tantúmque fugæ miſero ultima reſtat
Linea. Tum ſeſe contrà nigræ æmulus infert
Dux gentis propiore gradu; ſedes tamen una
Alterum ab alterius contactu ſummovet uſque.
Ut verò contra exſultantem victus & exſpes
Conſtitit invitus, fortunam nacta Virago
Extremam inſiliit ſedem, totóque minatur

Limite,

Limite, nec misero restat locus amplius usquam.
Tandem illum surgens Virgo crudelis in ensem
Immolat, & finem imposuit sors aspera pugnæ,
Ingenti superûm plausu, & clamore secundo.
Victor *Atlantiades* exsultat littore toto
Improbus, & victo insultat, ridétque dolentem:
Quem Pater omnipotens ad se vocat, & dat habere
Felicem virgam, quâ puras evocet umbras
Pallenti *Styge*, ut infectum scelus eluit ignis;
Quâque *Erebo* damnet fontes & carcere cæco;
Détque adimátque oculis somnos, & funere in ipso
Lumina lethæo claudat perfusa sopore.
Mox verò gratum ludum mortalibus ipse
Ostendit deus, & morem certaminis hujus
Italiæ primùm docuit celebrare colonos.
Namque olim, ut perhibent, dilectam *Scacchida*, quâ non
Inter *Seriadas* præstantior altera Nymphas,
Compressit ripâ errantem, & nil tale putantem,
Dum pascit niveos herbosa ad flumina olores.
Tum bicolorem illi buxum dedit, atque pudoris
Amissi pretium vario ordine picturatam
Argentique auríque gravem tabulam addidit, usúmque
Edocuit. Nymphæque etiam nunc servat honorem,
Et nomen Ludus, celebrat quem maxima *Roma*,
Extremæque hominum diversa ad littora gentes.
Omnia quæ puero quondam mihi ferre solebant
Seriades, patrii canerem dum ad flumina *Serii*.

HIPPO

HIPPODROMUS.

PLana *Sarisberii* dum fortè per æquora campi
Me vix, aut nè vix, tarde caballe, vehis:
Celsus equo generoso Heros (generosior ipse)
Assequitur subitò, prævolitátque simul.
Verùm ut comis erat, vel tædia longa viarum
Falleret ut meliùs, me jubet ire simul,
Tardigradóque meo calcaria subdere. at ipse
Fortiùs adducit lora, manúque premit.
Nos tamen immensi vel sic distantia campi
Protinus abjunxit, sepositque nimis.
Stat, non stat sonipes, spumantia fræna remordens;
Atque moræ impatiens, indomitúsque furit.
Ille meus, virgam, scuticam, calcaria temnens,
Incubat, indormítque, immoritúrque viæ.
Quid facerem tardus, rapido commissus iniqué?
Ocyùs Illi *stat*, quàm Mihi *currit* equus.

G. Bu-

G. BUCHANANI
EQVVS.

CÆtera rerum Opifex animalia finxit ad uſus
Quæq; ſuos: Equus ad cunctos ſe accommodat unus.
Plauſtra trahit, fert clitellas, fert eſſeda, terram
Vomere proſcindit; dominum fert, ſive natatu
Flumina, ſeu foſſam ſaltu, ſeu vincere curſu
Eſt ſalebras opus, aut canibus circundare ſaltus,
Aut molles glomerare gradus, aut flectere gyros,
Libera ſeu vacuis ludit laſcivia campis.
Quòd ſi bella vocent; tremulos vigor acer in artus
It, domino ſocias vomit ore & naribus iras,
Vulneribúſque offert generoſum pectus; & unà
Gaudia, mœrorem ſumit, ponítque viciſſim,
Cum domino; ſortem ſic officioſus in omnem,
Ut veteres nobis tam certo fœdere junctum
Crediderint mixtâ coaleſcere poſſe figurâ,
Inque *Pelethroniis Centauros* edere ſylvis.

THOMÆ RHÆDI *Scoti*
De *ARTE TYPOGRAPHICA*
Carmen.

Quisquis erat, meruit senii transcendere metas,
Et fati nescire modum, qui mystica primus
Sensa animi magicis docuit signare figuris,
Et captiva novis includere verba tabellis.
Obstupuêre rudes animi commercia linguæ
Absentes agitare viros, mentísque patére
Arcanas sine voce fibras, interprete pennâ.
Candida perplexis distinguitur area sulcis,
Et niveos atro tractus signante veneno
Vomer arat, raptus volucri quæ prodere rupem
Abnuit, enixis clivi ad fastigia Gallis.
Ligna æquata dabant primis conatibus arvum;
Tum *Nili* contexta biblos; mox *Pergama* pelles
Detraxêre boüm natis, & pumice scabro
Expolière superficiem scribentis in usum:
Denique, quæ nostris majoribus addita laus est,
Lintea contexta est nullo subtemine tela,
Exsuperans candore nives, ætate metalla;
Ni situs immundus, tinea & jejuna noceret
Pertundens opico sinuosa volumina rostro.
Aspice nunc viles ortus. Non mollia *Seres*
Fila dedêre operi, non vellera portitor *Helles*:
Linteola è triviis trita, & sudore perusta,

Maxillis

Maxillis contusa molæ, (mirabile) cernas
Jura *Modestini*, *Sophocli*sque edíscere versus.
En *Mosem*, & putri cretum lodice *Maronem*!
En centone satum *Hippocratem*, *Tacitúm*que cadurco!
Magnarum usque adeò sordent primordia rerum.
Deerat adhuc, quam nulla satis mirabitur ætas,
Ars cœlo delapsa viris, consumere nata
Materiem, velóxque omnes transcribere libros,
Compositis quadratâ acie miro ordine signis.
Non sic *Æmathiis* instruxerat agmina campis
Parricida urbis *Romæ*; nec ductor *Achivùm*,
Spurius *Ammonis*, tunc cùm malè-sanus *Eöum*
Pellæis Macetùm demessuit ensibus orbem.
Nullus apex jusso discedit limite, nulli
Inter opus cessare datur, fervéntque manip'lis
Castra suis fossâ ferratóque agmine clausa.
Muta cohors primùm; mox succis ora disertis
Illita *Palladiis*, prælúmque manúsque fatigant.
Nam cogunt tormenta loqui; tandémque fatentur
Depositum, reddúntque datas sine crimine voces.
Absque mora canit *Arma virùm* charta ebria lymphis
Castalidum, citiùs referens sexcenta *Maronis*
Carmina, quàm celeri scriptoris arundine verbum
Expedias; longéque operis stat gloria major.
Pensatur quoque fruge labor gravis ille benignâ.
Namque uno partu videas ter mille gemellos
Effundi, totíque trahi venalia mundo
Scripta Sophûm. Vitreo solus plus vertice *Mœnus*
Librorum quàm volvit aquas: huic præstinat Orbis,
Hora pares quoties adjungit lucibus umbras.
Non est quòd metuant malè-grati oblivia sec'li,
Non orbis, tineæve minas: hâc arte senectam

Qui Scriptor posuit, vernat renovatus in ævum,
In pretio quâcunque patent *Heliconia* sacra.
Omnia sunt æterna typis ; emplastra *Galeni*,
Rauci jura fori, sanctique orac'la *Sionis*,
*Pieridúm*que reperta novem. Proh ! quanta tulisset,
Cognita si priscis, ars nostræ commoda vitæ ?
Dimidio minor est *Tacitus* ; plus mœret ademptum
Livius ; & toto consumptus corpore *Trogus*,
Vindicat à tenebris tanti nisi nominis umbram.
Heu sec'lum insicitum ! servâsse monastica nobis
Retrimenta senum, laqueos pestésque juventæ :
Extinxisse autem certissima lumina vitæ
Rapta polo, *Phæthontéis* accensa quadrigis,
Heroüm manibus, genuit quos maximus *Hermes*.
Sic lolium, sic lappa virent, & semine vili
Perpetuant sobolem, nullâ formidine mortis :
Narcissus, suavésque rosæ, cessante labore
Exspirant, penitúsque animas per inania fundunt,
Ambrosias animas, nec spes datur ulla renasci.
O Dea, quæ servas pereuntia dentibus ævi,
Fare, quis ingenio mirandas extudit artes ?
Quem superûm primo Rex est dignatus honore ?
Laus veterum est, meruisse omnis præconia famæ,
Et spreviss simul : sese extra quærere nescit
Mercedem virtus : minus est quodcunque rependas.
Vilia tollit humo venalis buccina plebis
Facta virûm, sudátque premens ingentia livor.
An, veluti unde fluunt mediocria flumina primæ
Monstrantur scatebræ, *Nili* ignoratur origo
Æthiopum semota jugis ; sic maxima rerum
Scire nefas, causásque Deo transcribere par est ?
Humanum in siliquis minimísque senescit acumen.

BAR.

BARTASSIUS

De *AQUILA.*

G. Lerinæo *Interprete.*

LIttore *Threïcio*, rapidis quà barbara tellus
Fluctibus alluitur, queîs nomen & ossa reliquit
Occumbens tua, *Phryxe*, soror ; nec dissita longè
Unde suo liquidas nudo monstrare *Leandro*
Dum parat *Hero* vias, turri sublimis ab alta
Funeream accendit *Cyprio* pro lumine tædam ;
Dives avûm, dives formæ, dives & auri
Virgo fuit, nulli laudum cessura tuarum,
Hero, sed intacto longè victura pudore.
Namque *Cupidineas* invicto corde sagittas
Arcebat, nullis *Veneris* penetrablis armis.
Fortè sequebatur nemorosa per avia prædam
Venatrix, cursúque feras agitabat & arcu :
Cùm super aërii saxoso culmine montis,
Unde gravis longè spectantibus imminet horror,
In nido geminas aquilas implumibus alis
Repperit adverso tentantes lumina *Phœbo.*
Horrebant teneris cervix & brachia pennis.
Arebant fauces jamdudum, & hiantia prædam
Guttura poscebant, mater dum pabula ferret
Aut saniem, aut laceri fibras & membra columbi.
Ex his, præstantis quæ visa est indolis, unam
Accepit gremio, juga mox & saxa reliquit

Virg

Virgo metu: celeres pedibus timor addidit alas.
Non aliter, magnum qui clam paſtore juvencum
Occidit, lupus it pavitans, humiliſque ſequentes
Auſcultat poſt terga canes, & conſulit auras.
Jámque adeò ad nutus aſſueverat ales heriles,
Ut prædam interdum pedibus dimitteret uncis,
Ambirétque manum Dominæ revocantis. at illa
Blanditias & verba refert, mollíque remulcens
Attactu colludit avi, quæ charior una
Eſt oculis, eſt una genis, eſt una capillis.
Heu! lætis quàm vana fides, quibus aſpera fati
Vis luctus pariter clavo confixit aheno!
Ecce, datura duas uno de vulnere mortes,
Virginis egregios febris depaſcitur artus,
Et carptim nitidum formæ populatur honorem:
Puniceum decus oris abit, nativáque languent
Lilia, vernantis frontis flos decolor aret.
Unus utrique modus, geminóque tumentibus æſtu
Horreſcunt tremulæ circum præcordia fibræ,
Ac ſi Parca ambas nêſſet de ſtamine vitas.
Sæpe feram contra tabem luctata volucris
Exſilit è thalamo, Dominæ miſerata dolores,
Et prædam, tenero quæ fœtus placitura palato,
Per cœlum venatur agens, ſeu fortè coturnix
Occurrat, ſeu turdus edax, ſeu cerea perdix.
Apportat quodcunque datum eſt, alimenta rependens
Altrici, dederat quæ pabula veſca, priuſquam
Eniti, & vacuo poſſet ſe credere cœlo,
Prædatrixque ſequi valles, & montibus altis
Attonitas avium turmas agitare volando.
Jámque adeò humorem venis emulſerat omnem
Febris, & egelidis viduaverat oſſa medullis;

Et jam virgineo fera mors in corpore regnans
Indicebat avi ſupremæ fata dieï.
Jam lepus impavidos *Seſti* prope mœnia curſus
Exercet, jam falco rapax impunè propinquat
Turribus, accipitérque metu ſecurus ab omni
Errat, nec notos Aquilæ reminiſcitur ungues.
Nam deſes latet illa domi, Dominæque grabato
Incubat, & lentas moriendo protrahit horas.
Nunc corpus Dominæ plaulis circumvolat alis,
Nunc ſedet in gremio, labris nunc oſcula figit
Dulcia, nunc triſtes ferali murmure queſtus
Integrat, & luctum mœrentibus auget amicis.
Errabat virgo *Stygiis* jam frigida ripis,
Jámque ter *Herculeas* ſuperâras, *Phœbe*, columnas,
Cùm, lacrymas humecta, cibos blandúmque ſoporem
Spernit avis; tantùm juvat indulgere dolori,
Quærentem miſeras moriendo abrumpere curas.
Ut verò agnoſcit nimiùm ſua fata morari,
Irarum fluctus, ſubito furiata dolore,
Præcipitat, pectúſque fero fodit impia roſtro,
Atque iterans duros pulmonibus imprimit ungues,
Increpitans ſeram tam crebro è vulnere mortem.
Interea antè fores ingens in veſtibus atris
Agmen adeſt, manibus tædas, luctúmque ſub imo
Corde ferens, largóque humectans flumine vultum.
Supponunt humeros oneri, ſubeúntque volentes
Exuvias animi ſuperûm jam templa tenentis.
Fit clamor, longíſque tremunt ululatibus auræ.
Impoſuêre rogo corpus; quod ponè ſecuta eſt
Ales membra trahens rubro ſtillantia tabo, ut
Una eadémque duo cohoneſtet funera pompa.
Vix bene virgineum corpus libaverat igni

Mulciber

Mulciber, & piceum glomerârat in aëra fumum,
Quum ſubitò ruit in medium, ſeſéque cruentam
Injecit moritura pyræ, lethúmque petivit:
Quamvis objecto nequicquam fuſte ſacerdos
Pelleret, alt ultro grato ſe miſcuit igni,
Inque ſinu Dominæ cantum meditata quievit.
Felices animæ, veſtro ſine fine ſepulchro
Manna fluat, cœlúmque irroret *Hymettia* mella;
Vos lauri virides, vos myrtea protegat umbra;
Eternùm durate meis, durate camœnis.

BARTASSIUS

De *LUSCINIA.*

Gabr. Lermæo *Interprete.*

Quis verò varios auſit componere contra
Quos tenui Philomela modos de gutture miſcet;
Vocalem qui quamque ſuâ dulcedine vincant
Harmoniam, plectróve levi, vel pollice natam?
O quoties quernæ ſub opaco tegmine ſylvæ,
Ulmorum quoties viridi projectus in umbra,
Hos ſtudui numeros veſtris ſociare camœnis,
Atque immortalem modulis aptare *Thaliam?*
Nunc etiam tremulos doctæ ſentire lepores
Luſciniæ videor, dumóſque audire ſonantes:
Cùm vocem nunc illa gravem, nunc criſpat acutam;
Nunc ſummos mediis, medios nunc temperat imis

Apta ſonos, variátque vices, nemoríſque per altos
Seceſſus arguta modos ciet ore canoro.
Nec procul indè ſedens, patulæ ſub frondibus Orni,
Carmen idem paribus numeris integrat Aëdon
Altera, quæ, laudis gliſcens majoris amore,
Suave ciet toto gelidæ quod tempore brumæ
Eſt meditata melos, vacuíſque exercuit horis.
Reſponſum prior illa refert, & carmina diâ
Voce liquefaciens, flexus per mille volutat,
Ingeminans numeris numeros. quin ſæpius ambæ
Auroram alternis totam trivêre querelis.
Quæ minor è tanto certamine cedit, in iras
Vertitur, erepto tantúmque ægreſcit honore,
Ut miſeram ſubito reſtinguat funere vitam.
At victrix plauſu circumſtipatur ovantûm,
Atque ſalutatur doctæ Regina *Thaliæ*.
Manè novo Veneres cantando mille figurans
Diſcipulis elementa præit vocalia; deinceps,
Ingenii creſcente modo, ſublimius orſum
Imperat. aſt illæ dociles ex ore magiſtræ
Dictatos meminêre modos, atque ordine ſervant.

De Luſcinia vide Plin. *Hiſt. nat. l.* 10. *c.* 29.

FAM. STRADA

LVSCINIAM cum *FIDICINE*

commiſit.

JAm Sol à medio pronus deflexerat orbe,
Mitiùs è radiis vibrans crinalibus ignem;
Cùm Fidicen, propter *Tiberina* fluenta, ſonanti
Lenibat plectro curas, æſtúmque levabat,
Illice defenſus nigrâ ſcenâque virenti.
Audîit hunc hoſpes ſylvæ Philomela propinquæ,
Muſa loci, nemoris Siren, innoxia Siren,
Et propè ſuccedens ſtetit abdita frondibus, altè
Accipiens ſonitum, ſecúmque remurmurat; & quos
Ille modos variat digitis, hæc gutture reddit.
Senſit ſe Fidicen Philomelâ imitante referri,
Et placuit ludum volucri dare. pleniùs ergò
Explorat citharam, tentamentúmque futuræ
Præbeat ut pugnæ, percurrit protinus omnes
Impulſu pernice fides. Nec ſegniùs illa
Mille per excurrens variæ diſcrimina vocis,
Venturi ſpecimen præfert argutula cantûs.
Tunc Fidicen per fila movens trepidantia dextram,
Nunc contemnenti ſimilis diverberat ungue
Depectítque pari chordas & ſimplice ductu:
Nunc carptim replicat digitíſque micantibus urget
Fila minutatim, celeríque repercutit ictu.
Mox ſilet. Illa modis totidem reſpondet, & artem

Arte refert. Nunc, ceu rudis, aut incerta canendi,
Projicit in longum, nullóque plicatile flexu
Cármen init, ſimili ſerie jugíque tenore
Præbet iter liquidum labenti è pectore voci:
Nunc cæſim variat, modulíſque canora minutis
Delibrat vocem, tremulóque reciprocat ore.
Miratur Fidicen parvis è faucibus ire
Tam varium, tam dulce melos; majoráque tentans,
Alternat mirâ arte fides, dum torquet acutas,
Incídítque; graves operoſo verbere pulſat,
Permiſcétque ſimul certantia rauca ſonoris,
Ceu reſides in bella viros clangore laceſſat.
Hoc etiam Philomela canit. dúmque ore liquenti
Vibrat acuta ſonum, modulíſque interplicat æquis;
Ex inopinato gravis intonat, & leve murmur
Turbinat introrſus, alternantíque ſonore
Clarat, & infuſcat, ceu Martia claſſica pulſet.
Scilicet erubuit Fidicen, iráque calente,
Aut non hoc, inquit, referes, Citharíſtria ſylvæ,
Aut fractâ cedam citharâ. nec plura locutus,
Non imitabilibus plectrum concentibus urget.
Namque manu per fila volat, ſimul hos, ſimul illos
Explorat numeros, chordâque laborat in omni,
Et ſtrepit, & tinnit, creſcítque ſuperbiùs, & ſe
Multiplicat relegens, plenóque choreumate plaudit.
Tum ſictit exſpectans ſi quid paret æmula contrá.
Illa autem, quamvis vox dudum exercita fauces
Aſperat, impatiens vinci, ſimul advocat omnes
Nequicquam vires: nam dum diſcrimina tanta
Reddere tot fidium nativâ & ſimplice tentat
Voce, canaliculíſque imitari grandia parvis,
Impar magnanimis auſis, impárque dolori

Deficit,

Deficit, &, vitam ſummo in certamine linquens,
Victoris cadit in plectrum, par nacta ſepulchrum.
Uſque adeò & tenues animas ferit æmula virtus.

THEOD. BEZÆ
BURDINUS *MORIENS.*

Qui fuerat intimus trium Regum Galliæ *Secretarius.*

ILle ego cui curæ, cui magna negotia Regum
Incubuêre diu; tantâ cui mole gravato
Poſſe datum (nec enim certè divinitus iſta
Indigno collata mihi memorâſſe pigebit)
Sic onus integrâ famâque fidéque tueri,
Innocuæ ut vitæ exemplum poſt fata relinquam.
Heu tamen infelix! cheu! malè providus aſſum,
Æternæque reus pœnæ, ſi me ante tribunal,
Chriſte, tuum ſiſtas, horum memor antè malorum.
Ecquid enim tantæ poſſim prætexere culpæ?
Res ego dum Regum, dum magna negotia curo,
Ah! quoties terræ affixus, cœli immemor, & Te,
Mi Deus, & me neglexi! cheu! ſplendor inanis
Offudit quoties tenebras, nè gaudia plenæ
Perciperem lucis! quoties turbæ atque tumultus
Opplevêre aures, monitis nè fortè paterent,
Chriſte, tuis; mihi cùm ſurdo, in præcépsque ruenti,
Quò, malè-ſane, ruis, quò te tandem abripis, heus tu,
Burdine infelix? intúſque foríſque ſonares!
Ah! quoties, quotiéſque ſequi me recta paratum,

Abripuit rapidus velut in contraria vortex
Transversum, rursúsque in devia compulit Aula;
Aula omnis scelèris mater, nutrixque nefandi!
Subscripsit quoties multis manus ista reluctans,
Posthabitâ superùm miseris mortalibus irâ?
Denique, rem faciens, rem certè funditus omnem
Perdidi, & insanus studui ditescere damnis.
Aula, apage, & procul, O proceres Regésque, valete,
Et quæ me bona lactâstis tot falsa per annos.
Tu verò, una Salus hominum, solúmque precanti
Perfugium, spretis quæcunque olímve recénsve
Partim ignara superstitio, partim intulit audax
Impietas, & nunc eadem quoque monstra tuentur,
Hanc animam, *Christe*, hanc animam servato benignus,
Séque suúmque scelus clarâ tibi voce fatentem.
At vos, qui turbas inter tantósque tumultus
Rectè homines mortem meditari & vivere posse
Creditis, ut quos deludunt insomnia læta,
Hæc utinam faciant aliena pericula cautos.
Talia *Burdinus* moriens: quem sæpe diúque
Sanum assectatus, morientem denique ridens
Aulicus, Hæc & nos olim meditabimur, inquit;
Interea verò vitâque aulâque fruamur.

THE-

THEOD. BEZÆ
TINEA:
Id eſt,
Ad Muſas, Tineæ ſacrificium ludicrum.

SI rogat *Cererémque Liberúmque*
Vitæ ſollicitus ſuæ colonus ;
Si *Mavortis* opem petit cruentus
Miles, ſollicitus ſuæ ſalutis :
Quid ni, *Calliope*, tibi tuíſque
Jure ſacra feram, quibus placere
Eſt unum ſtudium mihi, omnibúſque
Qui vatum è numero volunt haberi ?
Vobis ergò ferenda ſacra, *Muſæ :*
Sed quæ victima grata ? quæ Camœnis
Dicata hoſtia ? Parcite, O Camœnæ :
Nova hæc victima, ſed futura vobis
Suavis, arbitror, admodúmque grata.
Accede, O Tinea, illa quæ puſillo
Ventrem corpore tam geris voracem.
Téne *Pieridum* aggredi miniſtros ?
Téne arrodere tam ſacros labores ?
Nec factum mihi denega. Ecce furti
Tui exempla, tuæ & voracitatis.
Penè tu mihi Paſſerem *Catulli*,
Penè tu mihi *Lesbiam* abſtuliſti.
Nunc certè meus ille *Martialis*

Ima

Ima ad viſcera roſus uſque languet.
Immo & ipſe *Maro*, cui pepercit,
Juſto *Cæſare* ſic jubente, flamma,
Læſus dente tuo, ſceleſta, mœret.
Quid dicam innumeros bene eruditos,
Quorum tu monumenta, tu labores
Iſto peſſimo ventre devorâſti?
Prodi, jam tunicam relinque, prodi.
Vah! ut callida ſtringit ipſa ſeſe!
Ut mortem ſimulat! Sceleſta, prodi,
Pro tot criminibus datura pœnas.
Agè, iſtum jugulo tuo cruento
Mucronem excipe, & iſtum, & iſtum, & iſtum.
Vide ut palpitat, ut cruore largo
Aras polluat hæc profana ſacras.
At vos, *Pierides*, bonæque Muſæ,
Nunc gaudete: jacet fera interempta,
Jacet ſacrilega illa, quæ ſolebat
Sacros *Pieridum* vorare ſervos.
Hanc verò tunicam, has dico, Camœnæ,
Vobis exuvias, ut hinc tropæum
Parnaſſo medio locetis, & ſit
Hæc inſcriptio; *De fera interempta*
Beza *dat ſpolia hæc opima Muſis.*

HUGONIS GROTII
ITER CURRUS VELIFERI.

Mira canam, ſed viſa mihi, ſed cognita multis;
Et, niſi viſa, mihi non habitura fidem.
Quod patet occiduas *Batavæ* telluris in oras
Eſt latus, & *Lateris* pars ea nomen habet;
Nos à cæruleis ubi dividit unda *Britannis*,
Et prætexta maris fluctibus arva jacent.
Hic pater Oceanus ſitientes lambit arenas;
Jámque vagas laxat, jámque coërcet aquas.
Ipſe ſibi poſuit fines *Neptunus*, & intra
Aggeris agnati mœnia ſævit hyems.
Proxima ſunt *Hagæ Sceverinis* littora noſtræ;
Æquoreis dives piſcibus ille locus.
Hinc ſi *Pettemum Zypæque* novalia pergas
Quærere, bis ſeptem millia pandet iter:
Millia, quæ totidem vix *Iphiclus* ambulet horis,
Aut *Ladas* celeri notus ab arte pedum.
Hæc curru volitanda fuit via. ſedimus omnes:
Ante oculos cœlum, littora, pontus erant.
Ut ſuſpenſa ſuis tumuerunt carbaſa ventis,
Ut Pharus, ut naves, ut *Sceverina* perit!
Et, velut indignans quòd non ſua pondera vectet,
Neſcio quo ſtrepitu murmuris aura ſonat.
Non aliter mugire ſolet, cùm mittitur arcu
Gnoſſia Sauromatæ torta ſagitta manu:
Aut cùm *Naſſovius Rheni* bellator ad undas
Fulminat, & ferrum ſulphuris æſtus agit.

At ſimul avecti primas ſuperavimus iras
Flaminis, & certâ cœpimus ire viâ,
Æquoreos inter fremitus ventóſque relictos,
Senſimus in rapidis frigora nulla rotis.
Amiſſos tepidi fruſtrà quæſivimus *Auſtros*,
Vela *Noti* celeres non potuêre ſequi.
Talis erat, quócunque cito raperemur ab axe,
Qualis in æſtivo langueat aura jugo.
Orbita vix umbram ſimulat, niſi littore molli
Si quando celerem tardat arena fugam.
Tunc & pulvereæ nubes, *Veneriſque* creatrix
Spuma procellolis imbribus ora ferit.
Tunc pluit & conchas & miſtum littore pontum:
Proximus eſt *Libycis Syrtibus* iſte labos.
Priſca vetus ſervat *Cattorum* nomina pagus,
Indicio referens poſteritatis avos.
Huc nemore *Hercynio* miſſos veniſſe colonos
Diſcimus; hinc *Batavi* gens animoſa ſumus.
Hîc *Caii* turris fuit, hîc exſtructa *Severo*
Horrea: nunc ingens omnia pontus habet.
Quid lapides periiſſe querar? periiſtis & amnes,
Oſtia nec *Rheni* cernimus eſſe ſuper.
Navigat hàc currus, quà naves antè ſolebant;
Continuátque pari tramite littus iter.
Hinc ad *Nordovicum* fines, & *Douſica* regna
Pergimus. O magni patria Vatis, ave.
Reſpicere à tergo *Santfordica* templa volebam:
Dum moror, à tergo jam mihi vicus erat.
Egmundæ cineres, quibus incunabula debet
Relligio, & magnis Regibus orta domus,
Vos quoque præteriit votis velocibus arbor.
Credibile eſt ipſos obſtupuiſſe Deos.

Sic

Sic celer avectas quantumlibèt ante carinas
Currus, & æquoreas effugiebat aves.
Credimus exemplo tumidi latrare *Pelori*
Monſtra : canes *Batavûm* non minùs æquor habet.
Quæ *Siculis Scylla* eſt, nobis *Honsbuſca* vocatur:
Nomen naufragiis nobile nauta timet.
Hic formidatum Sylvæ ſpumantis in auras
It caput ; æquoreis illa reſiſtit aquis.
Terrarum damnis *Nereus* alimenta profundi
Quærit, ut in noſtra luxurietur humo.
Non alibi *Batavos* propiora pericula tangunt :
Pro nullo facimus tam pia vota loco.
Structa manu moles tumidas niſi frangeret undas,
Quod *Pyrrhæ* fuerat tempore, terra foret.
Nunc quoque cùm ſaxis & quercubus unda dometur,
Proſtratæ quercus, ipsáque ſaxa jacent.
Sed nemus uſque recens ſurgit, redivivâque rupes :
Semper in his rauci gurgitis ira perit.
Siſtimur hîc ; rumpítque viam, tranſverſus ab undis,
Qui *Pettema* ſecat littora montis obex.
Littora *Baiano* quæ nil ceſſura *Lucrino*,
Hoc unum debent, *Sylva canina*, tibi.
Hæc prope ſicca jacet fraudato *Zypa* profundo,
Experta Oceani ſæpe ſolíque vices.
Hic, ubi ſquamigerum *Proteus* pecus egit in alga,
Nunc viret in ſegetes ingenioſus ager.
Marſacium pelagus, colléſque binominis *Ogæ*
Non procul, & *Flævi* triſtè furentis aquæ.
Nos hoc omne latus geminis confecimus horis.
Tantillum eſt ſpatii quod ferus horret *Iber*.

HUGO.

HUGONIS GROTII

In

ISAACI CASAUBONI

EXERCITATIONES BARONIANAS

Carmen.

ANnales docti nimiùm servire *Baronî*
Qui legis, & *Romæ* quale probatur opus,
Credere nè propera: multo vigilata labore
Pagina, sed nutu sub dominantis erat.
Auctoramentum non est leve purpura: pridem
Pontifices verum non didicêre pati.
O Pietas, ubi mersa lates? quis fortis & acer,
Qui contra sec'lum commodet ora tibi?
Vivimus addicti studiis; spes, ira, cupido,
Turba, metus, regnum Relligionis habent.
Pars Unum toti cupiens imponere mundo,
Hoc ut fas doceat, nil putat esse nefas.
Alma, licèt nolit, testis tamen esse Vetustas
Cogitur, & contra se facit ipsa fidem.
Seu solio vitâque simul depellere Reges,
Vertere seu pretio júsque piúmque libet,
Antiquos habitus nuper donare repertis,
Hoc iter ad famam divitiásque patet.
Altera pars studium nimium quoque fassa novandi,
Hoc Libertatem Puráque sacra vocat.

His

His cur diſpliceant ritus moréſque recepti
Cauſa ſatis magna eſt, quòd placuêre priùs.
Tantis preſſa malis Virtus, quæ falſa profari
Semper, & interdum vera tacere vetat,
Nunc huc, nunc illuc flens & miſerabilis ibat
Diva, ſibi nullas queſta vacare manus.
Sæpe alios fruſtrà, divine *Caſaubone*; ſed non
Illa tuam fruſtrà ſollicitavit opem.
Non tibi, ait, rubros apices promittere poſſum,
Sed nec opes: præda eſt hoſtibus illa meis.
Nec mihi parva tamen merces, mens conſcia recti,
Gratáque poſteritas, & Deus ipſe favens.
Audîeras: pares: nec te mala terruit ætas,
In pacem bellum quæ ſine pace gerit.
Cedat *Athenæus* juvenilis gloria: cedat
Scipiadæ ſapiens in fera bella comes:
Cedat & ipſe etiam mundi deſcriptor, & omne
Quicquid *Roma* tui, *Græcia* quicquid habet.
Hoc tantò majus, quantò eſt animoſius: illa
Doctrinæ fuerant, hoc pietatis opus.

D. ERA-

D. ERASMI ROTERODAMI
De *SENECTUTIS INCOMMODIS*

Ad Gulielmum Copum *Basileiensem*
Carmen.

UNica nobilium medicorum gloria, *Cope*,
Seu quis requirat artem,
Sive fidem spectet, seu curam: in quolibet horum
Vel iniquus ipse nostro
Præcipuos tribuit *Gulielmo* livor honores.
Cedit, fugítque morbi
Ingenio genus omne tuo. Teterrima porrò
Senecta, morbus ingens,
Nullis arcerive potest pellive medelis.
Quin derepentè oborta,
Corporis epotet succos, animíque vigorem
Hebetet, simul trecentis
Hinc atque hinc stipata malis, quibus omnia carptim
Vellítque deterítque
Commoda quæ secum suboleſcens vexerit ætas:
Formam, statum, colorem,
Partem animi memorem, cum pectore, lumina, somnos,
Vires, alacritatem,
Autorem vitæ igniculum decerpit, & hujus
Nutricium liquorem;
Vitales adimit flatus, cum sanguine corpus,
Risus, jocos, lepóres;

Denique,

Denique, totum hominem paulatim ſurripit ipſi.
Neque de priore tandem,
Præterquam nomen titulúmque relinquit inanem:
Cujuſmodi tuemur
Paſſim marmoreis inſculpta vocabula buſtis.
Utrùm hæc Senecta, quæſo,
An Mors lenta magis dicenda eſt? Invida fata, &
Impendio maligna!
Ut quæ deteriora labantis ſtamina vitæ
Pernicitate tantâ
Accelerare velint, rapidíſque allabier alis:
At floridam juventam
Uſque adeò malè-præcipiti decurrere filo,
Ut illius priuſquam
Cognita ſat bona ſint, jam nos fugitiva relinquant;
Et citiùs atque noſmet
Planè vivere ſenſerimus, jam vivere fracti
Repentè deſinamus.
At cervi, volucres & cornix garrula vivunt
Tot ſeculis vigéntque.
Uni porrò homini poſt ſeptima protinus, ídque
Vix dum peracta, luſtra,
Corporeum robur carioſa ſenecta fatigat.
Neque id ſatis, ſed antè
Quàm decimum luſtrum volitans abſolverit ætas,
Tentare non veretur
Immortalem hominis, ductámque ex æthere partem,
Et hanc laceſſit audax,
Nec timet ingenii ſacros inceſſere nervos,
Sua ſi fides probato
Conſtat *Ariſtoteli*. Sed quorſum opus, obſecro, tanto
Autore, quando certam

Ipsa fidem, (heu !) nimiùm facit experientia certam?
Quàm nuper hunc *Erasmum*
Vidisti mediâ viridem florere juventâ ?
Nunc is, repentè versus,
Incipit urgentis sensûi sentiscere damna,
Et alius esse tendit.
Dissimilisque sui, nec adhuc *Phœbeius* orbis
Quadragies revexit
Natalem lucem, quæ brumâ ineunte calendas
Quinta anteit *Novembres*.
Nunc mihi jam raris sparguntur tempora canis,
Et albicare mentum
Incipiens, jam præteritis vernantibus annis,
Vitæ monet cadentis
Adventare hyemem, gelidámque instare senectam.
Eheu fugacis (ohe !)
Pars veluti melior, sic & properantior ævi !
O seculi caduci
Flos nimiùm brevis, & nullâ reparabilis arte,
Teneræ O vires juventæ,
O dulces anni, O felicia tempora vitæ,
Ut clanculùm excidistis ?
Ut sensum fallente fugâ, lapsúque volucri
Furtim avolâstis ? ohe !
Haud simili properant undosa relinquere cursu
Virides fluenta ripas.
Impete nec simili, fugiunt cùm nubila, siccis
Quoties aguntur Euris.
Sic, sic effugiunt tacitæ vaga somnia noctis,
Simul avolante somno,
Quæ desiderium, curas & præter inanes
Sui nihil relinquunt.

Sic roſa, quæ tenero modò murice tincta rubebat,
Tenui ſeneſcit Auſtro.
Atque ità, me miſerum! nucibus dum ludo puellus;
Dum literas ephebus
Ardeo; dum ſcrutor pugnáſque viáſque Sophorum;
Dum Rhetorum colores,
Blandáque melliſluæ deamo figmenta Poëſis;
Dum necto Syllogiſmos;
Pingere dum meditor tenues ſine corpore formas;
Dum ſedulus per omne
Autorum volvor genus, impiger undique carpo,
Apis in modum *Matinæ*,
Pædias ſolidum cupiens abſolvere cyclum;
Sine fine geſtiente
Singula correptus dum circumvector amore;
Dum nil placet relinqui;
Dum profana ſacris, dum jungere *Græca Latinis*
Studeóque moliórque;
Dum cognoſcendi ſtudio terrâque maríque
Volitare, dum nivoſas
Cordi eſt, & juvat, & libet ereptare per *Alpes*;
Dulces parare amicos
Dum ſtudeo, atque viris juvat innoteſcere doctis;
Furtim inter iſta pigrum
Obrepit ſenium, & ſubitò ſegneſcere vires
Mirórque ſentióque,
Vixque mihi ſpatium jam defluxiſſe valentis
Perſuadeo juventæ.
Cur adeò circumſpectè parcéque lapillis,
Cur purpuris & oſtro
Mortales utuntur; & ætas aurea tantò
Pictioſior lapillis,

Et quovis auro, quovis pretiosior ostro,
Prodigitur, ínque nugis
Conteritur miseris nullo vœcorditer usu,
Sinitúrque abire frustrá?
Adde quòd illa queant sarciri perdita; *Crœsos*
Speres tibi licebit,
Et *Lydos* speres *Crœsos*, jam *Codrus* & *Irus*:
Sed quod semel severa
Pensilibus susis *Clotho* devolverit ævum,
Id nec venena *Circes*,
Nec magicum (*Maiâ* nati gestamina) sceptrum,
Neque dira *Thessalorum*
Medeæ succis revocare precamina possint:
Non, si vel ipse divûm
Nectare te saturet pater, Ambrosióque liquore:
Namque his ali juventam,
Arceri senium, scripsit nugator *Homerus*.
Non si tibi efficaci
Rore riget corpus *Tithoni* lutea conjux:
Non si ter octiésque
Phæon per *Chias Venerem* transvexeris undas:
Non si tibi ipse *Chiron*
Omnes admoveat quas tellus proserit herbas.
Nec annulus, nec ulla
Pharmaca cum nervis annos remorantur euntes.
Atqui ferunt Magorum
Monstrifico sisti torrentia flumina cantu:
Iisdem ferunt relabi
Præcipites amnes verso in contraria cursu;
Et *Cynthiæ* volucres,
Et rapidas *Phœbi* sisti figíque quadrigas.
Sed ut hæc stupenda possint

Carmina

Carmina; non ſperes tamen improbus, ut tibi quondam
Aut jam peracta vitæ.
Sec'la iterum referant, aut prætereuntia ſiſtant.
Sol mergitur, viciſsímque
Exoritur novus, & nitido redit ore ſerenus.
Extincta luna rurſum
Naſcitur, ínque vices nunc decreſcente minuta
Senſim ſeneſcit orbe,
Nunc vegeta arridet tenero juveniliter ore.
Redit ad ſuam juventam,
Bruma ubi conſenuit, *Zephyris* redeuntibus, annus;
Et poſt gelu nivéſque
Ver nitidum floréſque reverſa reducit hirundo.
At noſtra poſteaquam
Fervida præteriit ſec'lis labentibus æſtas,
Ubi triſtis occupavit
Corpus hyems, capitíſque horrentia tempora poſtquam
Nive canuêre densâ,
Nulla recurſuri ſpes aut ſucceſſio veris,
Verùm malis ſupremum
Imponit Mors una, malorum maxima, finem.
More at *Phrygum* inter iſta
Incipimus ſerò ſapere, & diſpendia vitæ
Incogitanter actæ
Ploramus miſeri, & conſumptos turpiter annos
Horremus, exſecramur.
Quæ quondam (heu!) nimiùm placuêre, & quæ vehemen-
Mellita viſa dudum, (ter
Tum triſti cruciant recolentia pectora felle;
Fruſtráque maceramur,
Tam rarum ſine fruge bonum fluxiſſe, quod omni
Bene collocare curâ

Par erat, & nullam temere deperdere partem.
At nunc mihi oſcitanti
Qualibus (heu!) nugis quanta eſt data portio vitæ?
Satis hactenus, miſelle,
Ceſſatum, ſatis eſt dormitum; pellere ſomnos
Nunc tempus eſt, *Eraſme*;
Nunc expergiſci, & totâ reſipiſcere mente.
Velis dehinc equiſque,
Et pedibus manibúſque, & totis denique nervis
Nitendum, ut antecacti
Temporis, & ſtudio jactura volubilis ævi
Vigilante farciatur,
Dum licet, ac dum triſtis adhuc in limine primo
Conſiſtimus ſenectæ;
Dum nova canities, & adhuc nunerabilis, & dum
Pilis notata raris
Tempora, duntaxat ſpatium effluxiſſe virentis
Jam clamitant juventæ,
Nec tam præſentem jam teſtificantur adeſſe,
Quàm nunciant citatum
Ferre gradum, & ſterilem procul adventare ſenectam:
Cujuſmodi videtur
Tum rerum facies, quum, Autumni frigore primo,
Jam vernus ille pratis
Deceſſit decor, & langueſcunt lumina florum.
Jam jam minùs nitentes
Herbas affirmes, *Boreáſque* gelúque nocentis
Jam prætimere Brumæ.
Ergò animus dum totus adhuc conſtátque, vigétque,
Et corporis puſillùm
Detrimenta nocent, agè jam meliora ſequamur.
Quicquid mihi deinceps

Fata

Fata ævi ſupereſſe volent, id protinus omne
CHRISTO dicetur uni.
Quò (cui vel * ſolidam decuit ſacrarier;ut cui
Bis térque debeatur,
Principio gratis donata, hinc reddita gratis,
Totiéſque vindicata)
Huic ſaltem pars deterior breviórque dicetur.
Poſthac valete, nugæ,
Fucatæque voluptates, riſúſque, jocíque,
Luſus, & illecebræ;
Splendida nobilium decreta valete Sophorum;
Valete, Syllogiſmi;
Blandæ *Pegaſides*, animóſque trahentia *Pithûs*
Pigmenta, floſculíque.
Pectore jam ſoli toto penitúſque dicato,
Certum eſt vacare *CHRISTO*.
Hic mihi ſolus erit ſtudium, dulcéſque Camœnæ,
Honos, decus, voluptas:
Omnia ſolus erit. Nec quicquam ea cura (quod aiunt)
Movebit *Hippoclidem*,
Terrea ſi moles, compagóque corporis hujus
Marceſcet obſoleſcens;
Mens modò pura mihi, ſcelerúmque ignara, per illum
Niteátque, floreátque,
Donec ſumma dies pariter cum corpore mentem
Ad priſtinum novatam
Convictum revocabit, & hinc jam vere perenni
Pars utraque fruetur.
Hæc facito ut rata ſint, vitæ exorabilis Autor,
Vitæque Reſtitutor;
Quo ſine nil poſſunt unquam mortalia vota, &
Vires labant caducæ.

* Referendum ad *vitam*, non ad *ævum*: ἐς ζωὴν, non ἐς χρόνον.

H. HUSANI JCti
Cancellarii *Megapolitani*
VOTUM.

O Animi felix, O parte beatus ab omni,
O immortali proximus ille Deo,
Quem docuit mundi valedicere moribus hujus
In verum pietas obsequiosa Deum;
Et sibi concessæ contentum limite sortis
Exercere suo munia justa loco:
Quem neque sollicitat mendaci gloria fuco,
Fluxarúmve fames sacra fatigat opum;
Dira nec in varias trahit altercatio rixas,
Quâ schola, quâ templum, quâ strepit omne forum;
Nec mala degeneri corrumpit inertia luxu,
Unica corporibus pestis & ingeniis:
Qui nec obæratus curis torquetur acerbis,
Nec jubet esse suâ nomina certa fide:
Qui potiùs dubias, rabularum pabula, lites
Quàm moveat, mavult cedere jure suo;
Nec locat infami steriles in fœnore nummos,
Et super insontem munera nulla capit:
Pascere qui multos vel equos famulósve necesse
Non habet, aut amplas ædificare domos;
Stare nec infida sublimis gaudet in Aula,
Magnorúmque potens ad latus ire ducum;
Sed justâ requie sese saturare, suæque
Intra fortunæ septa latére potest:

Educat

Educat & teneros chara cum conjuge natos,
Ut diſcant homini commoda, grata Deo:
Et cùm tranſierint exactæ tempora vitæ,
Concludit tacitos, ac ſine labe, dies.
O conclude meos hoc tandem fine labores,
Enecat oppreſſum me quibus Aula, Deus,

Æcloga tres Incerti Authoris.

Ægloga I. Allegor.

CONTRA PRÆDICATORUM CONTEMPTUM.

Celadon. Myrtilus.

ACcipe ſylveſtrem meditantis arundine Muſam
Quæ modò naſcentis cecinit nova fiſtula vatis
Frondentes inter ſalices, ubi flumina *Chamus*
Parva, ſed *Aoniis* gratiſſima flumina Muſis,
In mare per ſteriles producit graminis ulvas.
Jam gravis urebat *Nemeæi* terga Leonis
Cynthius, & calidis torrebat paſcua flammis;
Cùm duo, vitantes nocituri lumina ſolis,
Ad vada conveniunt Paſtores: *Myrtilus* alter,
Et *Celadon*; *Celadon*, quo non præſtantior ullus,
Paſcere, vel paſtas cantu mulcere capellas.
Qui poſtquam ſalices inter, frondéſque myricæ,
Et capiti gratas, aptáſque loquentibus umbras
Quæſierant, *Celadon* prior eſt ſic ore locutus.

Cel. Unde tibi triſtis demiſſo lumine vultus,

Myrtile?

Myrtile? dicebat: nec enim, velut antè solebant,
Jam tua lascivas gaudent spectare capellas
Lumina, spéque novi salientes graminis agnos.
Quémque priùs morsu pecten sulcare solebat,
Horridus assueta pendet sine lege capillus;
Barbáque neglecto passim riget hispida mento.
An tibi cura gregis? caper est tibi salvus, & hœdi,
Lentáque mordaces carpunt virgulta juvencæ.
Non etenim credo seris amor urit in annis:
Nec tua (quod juvenem quondam torquere solebat)
Pectora secretos fumant *Amaryllidos* ignes.

Myrt. O *Celadon*, non ulla meis incommoda rebus
Eveniunt; nec qui primis amor hæret in annis,
Sævit in effœtos vacuósque humoribus artus.
Sed me, Pastorum nuper dum fata rependi,
Multáque quæ veniunt nostris incommoda rebus,
Ex illo (*Celadon*) me tempore sævior arsit
Ignis, & invitum pectus dolor acer habebat.
Nec me festorum choreæ, non ulla levabat
Fistula pastorum, moturáve carmina rupes.
Ipse meos etiam quoties, solatia quærens,
Tentarem calamos, tenuésque inflare cicutas
Aggrederer, crudúmque sono relevare dolorem,
(Seu calamos omen, seu casus labra fefellit)
Tristia spondentes lugubre dedêre Camœnæ.

Cel. Et quæ tanta fuit propior tibi causa doloris?

Myrt. Conditio pecorum nimis invidiosa magistris.
Nam licèt hæc atrox & duri plena laboris
Vita sit, haud populo tamen est contemptior ulla.
Non etenim reputat quoties offensa videndo
Lumina conterimus digitis, quotiésque severis
Naribus infestæ bibitur fuligo lucernæ.

O quo-

O quoties æstas, quoties nos frigore *Cauru*s
Vexat, & immitis glacialia sydera brumæ;
Longáque concretis dependet floria barbis?
Sæpe lupos etiam baculis arcere ruentes
Cogimur, & longas vigilando ducere noctes.
Quid referam tandem fastidia mille laborum?
Sed neque me labor ille, nec aspera frigora brumæ,
Diráque sollicitos pecori spondentia morbos
Astra movent, quantum viridi contemptus ab ævo,
Et gravibus cunctis urgens infamia morbis.
Hæc nisi torquerent, (*Celadon*) non me ulla moverent
Frigora, non tristes æstivo lumine soles:
Sive *Borysthenes* ursæ glacialis ad oras
Ducere me pecudes crudelia fata juberent;
Sive per *Æthiopum* viduas cultoris arenas.
Cel. Hæc eadem quæ te feris possedit in annis,
(*Myrtile*) me quondam juvenem sententia cepit,
Nec mihi cura gregis, neque fistula nostra placebat;
Ducere vel cytiso pastorum more juvencas:
Dum melior ratio cœlo delapsa sereno
Abstulit errorem, tenebrásque excussit inertes.
Et nunc invidiæ mens aspernata querelas
Conflat, & in parvis didicit miteſcere rebus.
Nec me præcipitis terrent convitia linguæ,
Illáque verbosæ vulgata licentia plebis.
Sed neque te pecudis, neque te jam carminis hujus
Fœniteat, quamvis pauper ut victus in illis:
Et formosus oves pascebat *Daphnis Iberus*.
Ipse *Palæstinos* cùm nondum viderat agros
Corniger *Isacidum* ductor, per flumina *Nili*
Pascebat pecudes, & Rubri littora ponti.
Creditur & quondam vaccas paviſſe *Thereus*

Ipſe

Ipſe Deus Vatum, noſtri qui carminis author.
Et tibi (ſi memini) genitor, dum lumina carpſit,
Pauperis ipſe gregis cuſtos fuit; ille regebat
Non procul à terra pecudes, ubi ſtagna frequentant
Quæ ſera *Pygmæis* indicunt bella volucres.
Quid memorem reliquos? & amârunt paſcua Reges.
Myrt. Vera refers; neque me veterum ſententia fallit,
Quantus honor pecori fuerat, pecorúmque magiſtris.
Sed quid habet, quondam noſtros in honore fuiſſe?
Quíd ve juvat miſeros poſt ſecula longa nepotes,
Aurea quòd quondam *Saturni* regna fuerunt?
Cel. At nos conſiliis præbere ſalubribus aurem
Convenit, haud teretes animis expendere cauſas.
Sæpe requirentem nudi veſtigia recti
Abſtulit inſanæ laudis ventoſa cupido.
Non etenim noſtris adeò ſors aſpera rebus
Invidet, ut ſimus trivialis fabula linguæ;
Vitâve Paſtorum meruit contempta videri:
Sed nimiùm veteris conſtans infamia culpæ,
Falsáque veſani nos lædit opinio vulgi.
Nam modò cùm noſtros latrans invaderet agros
Ille ſub *Heſperidum* latitans canis horridus antris;
(Neſcio quis fuerat: multi dixêre triforme
Cocyti ſolitum latrare ad flumina monſtrum
Herculeis iterum manibus ſub lumina tractum;)
Neſcio quos ſecum comites à *Tybride* ducens
Stirpe *Lycaoniâ*, noſtris præfecerat arvis.
Illis cultus erat ſimplex, fucatáque pellis,
Pectora plena dolis: vultu tamen uſque ſedebat
Callida ſimplicitas, larvati mater honeſti.
Pallidus ore color; veterúmque inſigne parentum,
In ſterili plenam geſtabant vertice lunam.

Barba

Barba ſupercilio brevior; nam ſemper adultos
Abſtulit à labris graſſata novacula crines.
Forma tamen capitis noſtris contraria qualis,
Si quis demat equos, Boreales pingeret urſas.
Illi nec curare gregem, neque paſcere docti,
Nec cantare modos, aut reſpondere periti;
Sed pavidum laniare pecus, vacuúmque coacti
Velleris, ad gelidæ ventos exponere brumæ.
Hinc vetus antiquæ remanens infamia culpæ,
Immeritis etiam labem Paſtoribus infert.
Adde, quòd in noſtris vitium Paſtoribus inſit:
Quorum pars calidis priùs aſſuefacta caminis,
Et tractare manu *Lemnæi* munera divi,
Aut Cererem mandare ſolo, vel ſibila plauſtris
Dicere, vel pedibus lentos aptare cothurnos;
Nunc tamen (heu!) raſtris ſubitò exſiliêre relictis,
Aggreſſi tenues paſtorum fingere voces:
Cùm neque quid valeat calamus, quid fiſtula nôrunt,
Aut armenta quibus nutriri convenit herbis.
Sæpe tamen nullâ fretos hos arte videbis
Inter *Hamadryadas* feſtum celebrare puellas,
Et ſtipulâ miſerum ſtridenti ſpargere carmen.
Talis erat *Corydon*, *Corydon* generatus *Amyntâ*,
Quem nôſti patrii linquentem munus aratri,
Et ſtimulos, quibus antè boves urgere ſolebat;
Et jam paſcit oves vicini ad paſcua *Niſi*.
Et quid adhuc veterum miramur carmina Vatum?
Quòd genitos pluvio *Curetas* ab imbre loquantur,
Templa repercuſſis implere ſonantia ſiſtris?
Quódque *Tages*, *Thuſco* prognatus vomere, nuper
Mulceret populi doctis ſermonibus aures?
Cùm modò qui fuerat curvi cognatus aratri,

Audeat

Audeat insignes pastorum ludere versus,
Dignâque fluminei vix dicere carmina ranis?
O miseras nimiùm tali custode capellas!
(*Myrtile*) non illi pastorum munera nôrunt,
Nec miscere apio siccum bene-olentis anethi;
Sed lacerum tondere pecus sub *Orionis* astro.
Non illi, nostros iterum si invaderet agros,
Hesperidum poterint arcere ab ovilibus *Hydram*;
Nec rabidos terrere lupos, neque frigora ferre.
Quid? quèd adhuc alii Pastorum nomina lædant,
Quîs pecudes tantùm sunt victima grata crumenæ:
Qui licèt *Ionios Sirenas* vincere cantu,
Et mulcere greges, & pascere sæpe solebant;
Cùm tamen accepto diteſcant vellere tandem,
Illîco conticuêre,
Mutáque sub viridi dependet fistula quercu.
Talis erat priscos inter Deus *Aius Hetruscos*,
Qui cùm rura miser sylvásque habitare solebat,
Et solis captare faces, & frigora brumæ,
Crebra dedit quondam populo responsa petenti:
At cùm marmoreâ statuissent Æde superbum,
Illico divitiis obmutuit ille repertis.
Hinc venit, ut nostros contemnant (*Myrtile*) cantus,
Immeritísque etiam dicant convitia sylvis.

Myrt. O *Celadon*, non hæc tantùm sunt crimina vulgi,
Ut malè-rudentis contemnat carmina vocis:
(Qualia si *Corydon* caneret, generatus *Amyntâ*,
Fistula cui rudibus tantùm compacta cicutis
Perstrepit, & cantu semper se mulcet eodem;
Aut reliqui, quorum gelidus præcordia sanguis
Arctat, & aversus quibus abnuit omnia *Phœbus*:)
Sed licèt hæc eadem cantet, quibus *Orpheüs* olim

Ismarias

Ismarias moviſſe feras & ſaxa putatur;
Aut ea quæ quondam *Dircæus* carmina Vates
Rupibus ad magni cecinit ſaltus *Aracynthi*;
Denique, flumineos vel cantu vincat olores;
Non tamen agreſtes flectent ſua carmina Nymphas.
Sæpe etenim vidi, cùm *Tityrus* ipſe vocaret,
Abdere ſe tacitam denſis *Amaryllida* ſylvis,
Nec curare modos, neque juſſas ferre choreas;
Quin etiam auditis maledicta rependere Muſis.
Cel. Sic neque diſtentæ curant virgulta capellæ,
Aëra nec piſces, neque paſtus gramine taurus
Mella; nec *Aſſyrio* pecudes capiuntur amomo:
Nec tribuli proferre roſas, nec fraga geniſtæ,
Aut ſteriles nôrunt emittere poma myricæ.
Non Cererem gignunt ſilices, neque Bacchicus humor
Horrida purpureis veſtit dumeta racemis.
Sic neque paſtorum capiunt *Amaryllida* cantus,
Nec calamos amet illa: ſatis, ſi *Phyllis* amabit.
Phyllis amat calamos, illi ſunt grata canentis
Carmina paſtoris. dum carmina *Phyllis* amabit,
Nec me paſtorum calamos inflare pigebit,
Nec, tenues quamvis, labris junxiſſe cicutas.
Deſine plura loqui; jam *Phœbus* mitior ignes
Spargit, & occiduas inviſit *Tethyos* undas.

Ægloga Secunda.

QUERELA COLLEGII REGALIS.

[*In* Daphnide *videtur Poëta perstringere* Millingtonum, *primum hujus Collegii Præpositum; qui, quòd à re Collegii alienior esset, ac* Eboracensibus *suis totus favens, ab Rege Fundatore ad Aulam de* Clare *relegatus est.*]

Melibœus. Ægon.

ÆStus erat, mediúsque dies, quo tempore *Phœbus*
Incolit *Astræa*, *Maiæque Atlantidos* astrum;
Cùm duo Pastores, senior *Melibœus*, & *Ægon*,
Projecti virides stignabant graminis herbas.
Quos circum, calamos hortantiáque æra sequuti,
Cornigeríque duces, pecudúmque ignobile vulgus
Errabat, placidúmque fame stimulante laborem,
Invalidas crebris sternebat morsibus herbas.
Non illis, longum dum tentant fallere solem,
De grege sermo fuit; sed quas in amore solebant
Dicere, nec rursum dicturis prodere sylvis,
Nympharum veteres referunt *Dryadúm*que querelas.
Ut primùm varios *Io* furibunda per agros,
Dum queritur, verbísque parat proferre dolorem,
Impleret vacuas longis mugitibus auras.
Utque *Jovem*, toties latebras Nymphásque sequentem,
Acribus argueret dictis *Saturnia* conjux,
Jurgiáque immiscens totum turbaret Olympum.
Hinc, quibus *Oebalides*, florem mutatus in atrum,

Vocibus

Vocibus incautum moriens culpavit amantem,
Infelix puer; útque novi sub tempore veris
Nunc etiam veteres meditetur flore querelas.
*Narcissúm*que canunt, *Dryadas* dum sperneret omnes,
Ut sua poscentes frustrà connubia Nymphæ
Ultores habuêre Deos. quid montibus *Echo*
Diceret, ingratos cùm sæpe referret amores.
Nec reticent jaculi violatam cuspide *Procrin*,
Noscere suspectos dum conjugis optat amores.
His junxêre (novi dum parturit hospitis ignes)
Strymonis ad gelidas lacrymantem *Phyllida* ripas.
Utque suas gemitu turbantem sæpius undas,
Aggressæ tacitis solari *Naiades* antris.
Non illam lacrymæ, non illam regna, nec urbes,
Nec patrii revocare valet reverentia sceptri:
Usque adeò ratione carens dolor urit amantes.
Talibus alterni fallebant tempora dictis,
Cùm, nova præteritis jungens, hæc addidit *Ægon*.
Ægon. Hæc equidem mecum quoties (*Melibæe*) recor-
Sive ea ficta putes, seu sint mendacia vatum (dor,
Credula, (nam quævis mentem lugubria tangunt)
Invenio nostros aliquid quod flectere sensus
Possit, & invito lacrymas è pectore ducat.
Hæc quoque dum canerem, memini mihi sæpe loquenti
Sponte suâ lacrymas furtim cecidisse per ora.
Sed neque me *Dryadum* tantum, neque *Phyllidis* ignes,
Flumineæve movent plangentes littora Nymphæ,
Grantigenas quantum nuper *Telethusa* per undas:
Quam pater, Oceani dum finibus arva teneret,
Jam senior, Nymphâ genuit *Polymetide* natam.
Non illam genitor fulis calathisque *Minervæ*
Virgineas fœdare manus, vel pectine lanam

Ducere, vel radio ſtantes percurrere telas;
Sed ſtudiis docuit traducere mollibus ævum,
Chamus ubi fluvio rorantes diffecat agros.
Et jam Muſarum poterat pars una videri,
Daphnidis indigno ſi non periiſſet amore.
Hanc ego, dum nuper piſcatum ad flumina veni,
Fletibus ad ſurdas jactantem talia ripas
Accepi, lacrymáſque ſimul gemitúſque notavi,
Infelix quibus illa lacus, quibus arva replebat,
Daphnidis averſos dum fortè doleret amores,
Daphnidis, (hunc illi tribuerunt fata maritum.)

Vos, O cornigeri labentia flumina *Chami*,
Carmina quæ toties pulſantes aurea Muſas
Audiſtis, citharæque notas, plectrúmque ſonorum;
Et tu, *Chame* pater, reliquis incognite rivis,
Nec dum carminibus notas celebrate per undas,
Cantantem qui manè vides, qui veſpere *Phœbum*;
Túque, *Ceres*, cujus non eſt leve numen in agris;
Et vos, *Pegaſides* (doctorum numina) Muſæ,
Quas colui, quas nunc, quamvis injuſſa, frequento;
Accipite hæc noſtri luctantia verba doloris,
Conjugis indigni factis crudelibus acta.
Alloquor? an veſtras ea ſunt ventura per aures?
Et merui, fateor, talem, quæ neſcia primùm
Accepi, thalamíque libens in parte locavi
Errantem, ſylváſque & inhoſpita rura colentem.
Quam tamen ingratus duro jam lumine ſpectans
Effugit, & ſpretis ipſa cum conjuge Muſis,
Ah! procul infandos *Dryadum* comitatur amores.
Illic vel canibus lepores, vel arundine damas
Inſequitur, timidóſque agitans in retia cervos,
Nil meritam ducit ſero ſub veſpere prædam.

A

Aut loca veſtigans ſylveſtribus horrida dumis,
Lentus in umbroſo depaſcit ceſpite ſomnos.
O quoties dixi, Vitreas hîc, *Daphni*, per undas
Cantantes mecum poteris ſpectare ſorores,
Si libet, & calamos interdum inflare ſonantes?
Ipſa tibi molles hederas, & munera texam
Florea; cantanti donabunt laurea Muſæ.
Crudelis non ille preces, non jurgia curat,
Nec pariles audire modos, neque dicere verſus.
O quoties latebras ingratáque luſtra petentem
Ipſæ te placidis divæ *Lebethrides* antris.
Ducere cùm vellent, tali ſermone vocârunt?
Huc ades, & noſtris ſuccedas, *Daphni*, ſub antris:
Quò fugis? (ah demens!) ſunt nobis dulcia ſemper
Carmina, quæ cecinit terris *Jove* natus *Apollo*;
Et virides ſemper denſant umbracula lauri.
Nec teneræ ſitiunt herbæ; liquor almus aquarum,
Deſuper incumbens, terræque & Solis amores
Irrigat, & læto fœcundat gramine terram.
Hic quoque quæ poteris medio guſtare ſub æſtu
Flumina ſunt, tremulis ſemper currentia lymphis.
Urniger hæc nobis è cœlo fudit *Orion*.
Quò fugis? in ſolis habitat dolor anxius arvis.
Ille rudis contrà rauco cum murmure vocis
Abnuit, & nemorum fertur latiturus in umbra.
Nec lacrymæ revocare valent, nec carmina *Daphnin*;
Nec, quamvis cupiunt, tentantes omnia Muſæ.
Cur tamen ille meos adeò contemnat amores?
Sunt mihi dotalis bis centum jugera campi,
Quæ genitor quondam nubenti dona reliquit;
Multáque, quæ genitrix miſit clàm, munera nobis:
Quæ tamen ille ſibi rapidus nunc omnia ſervat.

Nec mihi forma rudis, qualis deterret amantes:
Aonias inter dicor pulcherrima Nymphas.
Jam licèt afflictæ facies neglecta rigescat,
Et mihi fortè, tuos dum persequor avia gressus,
Indefensa malus variavit tempora *Phœbus*;
Haud adeò nuper fuscus color ora notabat.
Me quoque, dum nuper cœlebs sine conjuge vixi,
Innumeri petiêre proci, peterêntque vicissim.
Et mihi, cùm primùm tendebat retia *Daphnis*,
Dum fugerem simulans, memini ut transversa videnti
Sæpe meos vultus cupidis sequeretur ocellis.
Quid, quòd & egregio Regum de sanguine ducor?
Felix, O nimiùm felix, si talia nunquam
Fœdera junxissem! mens est in vulnere sera.
At vos, *Pierides*, nostri solatia luctûs,
(Quas juvat, antiquæ linquentes *Phocidos* undas,
Ad gelidos habitare lacus & flumina *Chami*)
Quid mihi jam vestros studio coluisse labores
Profuerit, verbóque ingens quòd regia dicar,
Si meæ crudelis prædetur gaudia *Daphnis*;
Nec me jam lacrymis videat lux ulla vacantem,
Seu cùm, nocte micans, piceas vocat *Hesperus* umbras,
Seu caput Eoum natalibus exserat undis?
Talia dicenti, lacrymásque per ora cienti,
Tristior extremam cepit cum murmure vocem
Amnis, & attonitas contorsit molliùs undas.
Quin etiam facili visæ se flectere nutu
Vimineæ salices, & flumina tangere ramis,
Ceu mœstæ cuperent lacrymas adhibere dolori.
Ast ego, tum sortem Nymphæ miseratus acerbam,
Vix me continui, quin, affectûsque meique
Proditor, acceptas testarer voce dolores,

Daphnidis

Daphnidis & verbis crudelia facta notarem.

Mel. Non hæc sollicitis (*Ægon*) tibi pectora tantùm
Sensibus immergunt, nec corda sequentia luctum
Afficiunt; lacrymis omnes gemitúque movemur.
Et me sæpe suis eadem *Telethusa* querelis
Movit, & ignaris lacrymas excussit ocellis.
Et memini nuper vacuos ut sola per agros
Erraret, divósque gemens hominésque vocaret.
Nec tantùm lacrymas Nymphæ gemitúsque notavi:
Vidi, cùm, furiis sævóque evicta dolore,
Incassum magicas nuper tentaverit artes,
Nocturnos dum fortè greges & pascua servo.
Est locus obscurâ semper malè consitus umbrâ,
Horridus immani tellus quem pandit hiatu;
Nescio qui Manes illic habitare putantur;
Indigenæ sacrum dixerunt Manibus antrum.
Huc, dum nox piceis erraret roscida bigis,
Unanimem secum ducens *Telethusa* sororem
Accessit, solvénsque comas, & pectora nudans,
Talibus aggreditur juratos flectere Manes.
Esto mihi testis, *Phœbe*, vósque aurea cœli
Lumina, quæ magnum luctando sistitis orbem;
O vos, O nivei Manes, animæque piorum,
Diique deæque omnes, quibus est concordia curæ;
Artibus invitam magicis accingere mentem.
At vos, O scelerum reddentes præmia Diræ,
Ultricésque deæ, quas hîc habitare loquuntur;
Quæ curas, gelidósque metus, rabidósque dolores
Injicitis, pavidísque horrorem mentibus atrum;
Has audite preces: Rapidus mea gaudia *Daphnis*
Abripuit; mecum lites & jurgia tractat.
Vindice non tantùm pœnâ mulctate, sed illum

(Numina ni prohibent) lateri disjungite noſtro.
Solvite conjugii nova vincula, ſolvite Daphnin.
Tolle, Soror, latices, circúmque tepentibus undæ
Sparge ſolum lacrymis ; & quæ modò fecimus ambæ
Carmina, vix primo cùm *Titan* palluit ortu,
Perlege, ter liſtens, neque reſpice. (Sæpe legenti
Obfuit ignarus retro dum lumina flexit.)
Theſſalicas (quid enim lacrymis profecimus ?) artes
Experiar, nobis dum Sol obſcurior umbras
Porrigit, adverſis dum præbet lumina terris,
Aſtráque connivent blandos imitantia ſomnos.
Solvite conjugii nova vincula, ſolvite Daphnin.
Ut lupus imbelles ſequitur cùm dentibus agnos,
Corripit (ah !) fruſtrà balantis gaudia matris :
Sic meus eripuit nuper mihi pignora *Daphnis.*
Utque canis, diro quem vexat Sirius æſtu,
Vertitur in rabiem demens, totámque per urbem
Fertur, & inſequitur, quæ præterit omnia, morſu :
Mente carens, rabidè ſic arripit omnia *Daphnis.*
Sic illum nobis, ſic nos (niſi fata repugnant)
Eripiant illi, facientes omnia Divi :
Aut (ſi fata vetent) repetentem luſtra reducant.
Solvite conjugii nova vincula, ſolvite Daphnin.
Ut latet in ſylva ſpinis armatus echinus,
Acribus à tergo premitur cùm fortè moloſſis :
Sic noſter latebras venatur & otia *Daphnis.*
Daphnis amat ſylvas ; nemorúmque reconditus umbri,
Neſcio quid faciat : ſed cuncta timemus amantes.
Vos igitur latebris illum ſylvíſque latentem
Ultrices agitate Deæ, noctíſque timorem,
Et diras piceo referentia corpore formas
Objicite, ut fugiat quas nunc amat improbus umbras.

Solvite

Solvite conjugii nova vincula, ſolvite Daphnin.
Lenta ſalix pecori, Seſeli nemus utile cervis,
Serpentes apris hederæ; languentibus urſis
Luteolum prodeſt foliis bicoloribus arum;
Gramina reſtituunt læſas *Cortynia* capras:
Perfidus at niſi me cogatur linquere *Daphnis*,
Nulla mihi faciet poſthac medicina ſalutem.
Solvite conjugii nova vincula, ſolvite Daphnin.
Carpe, Soror, ferrum manibus; quercúmque ſiniſtrâ
Quam cernis, radios frangentem & lumina cœli,
Concute ter ferro. (Quercus & robora *Daphnis*
Semper amat, ſemper lauros & flumina temnit,
Et *Dryadum* turpes ſequitur laſcivus amores.)
Hanc agè cum foliis, & duro cortice nudam,
Sterne ſolo, viridéſque ſeca cum ſtipite ramos,
Calcibus uſque premens; preſſæque hæc inſuper addas.
Quercus ut hæc foliis atque ipſo cortice ſciſſa
Sternitur, & viridi frondis nudatur honore;
Stipite nec ramos, nec ramis proferet umbras:
Sic etiam cuncto *Daphnis* ſpolietur honore.
Solvite conjugii nova vincula, ſolvite Daphnin.
Parce, Soror, ſatis eſt; facilis vindicta beatis
Spiritibus placet; hac potiùs conſide ſub ulmo:
Dúmque ſedes, atrâ mecum fuligine vultum
Perline: cras *Aponi* tepidis purgabimur undis.
Hîc reſponſa Deûm libet exſpectare ſub antro,
Eventúmque rei, tardis dum flexibus anguis
Quinque gradus ſuperans, immotum circuit axem.
Solvite conjugii nova vincula, ſolvite Daphnin.
Ah! quid ago? fruſtrà magicas tentavimus artes;
Non ullæ gemuêre feræ, ſonitúmve dederunt
Arboribus tremulæ concuſſo vertice frondes;

Nec veniente Deo trepidæ ceſsêre lucernæ,
Aut rapidas vox ulla tulit reſponſa per auras.
Infœlix quibus ergò malis peritura relinquor,
Si neque tot lacrymæ nobis, neque verba, nec artes,
Nec repetita mihi toties hæc carmina proſunt;
Carmina, quæ ſurdis cantavimus omnia Divis?
Talia nequicquam cæco *Telethuſa* ſub antro
Fundebat, largóque oculos humore rigabat,
Daphnidis aggrediens cantando figere mentem.
Omnia quæ rigidi ſignans in cortice fagi
Servabam, vociſque modum, numeróſque loquentis.
Hæc illi vacua ſoli cecinêre ſub umbra
Irriguas juxta crepitantis fluminis undas.
Præcipitémque diem longo ſermone trahebant.
Donec proſpiciens *Melibœus*, Sole fugato,
Sydera ſe raris audentia prodere flammis,
Membráque de viridi tollens, quam læſerat, herba,
Cætera cras (inquit) melius cantabimus, *Agon*,
Lætior ut primos Aurora revexerit ortus,
Reddideritque diem terris, animiſque vigorem.

Ægloga Tertia,

De *MORTE BONERI.*

Theſtilus. Palæmon.

JAM nova falcatus reparaverat horrea meſſor,
Quæ prior emenſi victus conſumpſerat anni,
Captivámque manu Cererem ſub vinc'la coëgit,
Debilibus poſtquam ſtragem feciſſet ariſtis;
Theſtilus exigui cuſtos cùm pauper ovilis,
Et cœnæ memor, & jejuno providus ori,
Ad vada contiguæ ſolus conſederat undæ:
Canna manus illi, cannámque armaverat hamus;
Et levis appenſo nutabat cortice funis.
Sola comes domino canis accubat, arváque circùm
Impranſæ pariter tondebant læta juvencæ,
Mutáque vicinis pendebat fiſtula ramis.
Tunc etiam cædem meditatus piſcibus, hamos
Jecerat, atque acri ſervabat lumine motum:
Cùm veniens illàc, intentum fortè *Palæmon*
Viderat, & ſubitâ ſtupefactum voce ſalutat.
Ille ubi reſpexit, vultúmque agnovit amici,
Theſt. Ecquid agis noſtris (O chare *Palæmon*) in arvis?
Solus an hîc? an te pecudes comitéſque ſequuntur?
Pal. Non venio veſtris hoſpes manſurus in agris,
(*Theſtile*) nec vacuum cunctando ducere tempus.
Eſt mihi namque domi pecus, eſt mihi charior *Ægle*,
Illáque

Illáque jam noſtros exſpectat veſpere greſſus.
Sed properans illa venio propè laſſus ab urbe,
Quam veteres olim *Trojam* dixêre *renatam*,
At nunc indigenæ *Londinum* nomine dicunt;
Nobilis occiduis quam ditans *Thameſis* undis
Alluit, *Angligenas* inter pulcherrimus amnes.

Theſt. Et quid habes forſan gratum novitate, *Palæmon?*

Pal. Non ego quæ *Gallus*, vel quæ *Germania* tractat
Prælia, quáſve, jacens ad mœnia clara *Melitæ*,
Turca pharetratas ducat per millia gentes,
Aut nova quæ timidus defert Mercator ab *Indis*,
Cætera vel noſco (nec enim mihi cætera curæ)
Ambitioſa quibus magnorum paſcitur auris:
Sed quæ grata magis poterint Paſtoribus eſſe,
(*Theſtile*) quæque tuas mulcebunt ſuaviter aures.

Theſt. Fare, (precor) neque te tantum via cætera noſtris
Auribus invideat. ſic candida *Phyllis* & *Ægle*
Multa tibi ſolvant fragrantibus oſcula labris,
Cùm repetes ſeros ſub amica crepuſcula greſſus;
Amplexæque ſuis blandè tua colla lacertis,
Suaviter illa patrem vocet, & vocet illa maritum.

Pal. Expediam, quamvis mora feſtinantibus obſit.
Cùm, repetens hodie vectigla, ſolus ab urbe
Egrederer, terris primos ubi *Cynthius* ignes
Erigit, occurrit notus mihi *Myntius*, illic
Quà medium verſus Solem via ducit ab urbe,
Templáque defendit tibi nota *Georgius* acer.
Hîc ubi me celeri cupientem evadere paſſu
Vidit, Io! dixit; tibi jam ſecura vireſcant
Arva, nec oblitas errent armenta per herbas,
Nec teneræ capiant pecudes cum fronde timorem.
Hîc ego, Lætitiæ num quæ nova cauſa reſurgit?

Hó-

Hócne vides, inquit, (digito monſtraverat illud)
Quod patet hîc oculis inter ſpineta ſepulchrum?
Quáque priùs tellus neglectâ fertilis herbâ,
Jam rudis, & nullo decorans ſe gramine ſurgit?
Hîc jacet ille ferox veſtri prædator ovilis,
Quem modò graſſantem terris non ulla valebant
Paſcua, non ipſi montes ſatiare, nec urbes.
Aſpice, (namque novo ſemper ſe ſanguine paſcens
Crevit in immenſum diſtento corpore pondus)
Effoſſæ quantum telluris poſſidet antrum.
Theſt. Ille lupus, ſimilem cui ſecula nulla tulerunt,
Occidit, (ah!) noſtri quondam populator ovilis?
Et te vera putem nobis retuliſſe, *Palæmon?*
Carpite ſecuræ jam gramina, carpite flores,
Lanigeræ pecudes: neque jam vos torreat æſtas,
Sæva licèt vobis immittat lumina *Phœbus*;
Nec gravis hyberni lædat violentia cœli.
O quantam miſeris ſtragem Paſtoribus olim
Intulit! O quoties teneros cum matribus agnos
Sanguineas olim libans mactavit ad aras!
Quin etiam nuper, quamvis ſub carcere tutus,
Indomito quantas ſpiravit pectore cædes,
Libera ſi quando vitæ foret ulla poteſtas!
Pal. Sic quoq; jam moriens horrendùm ſibilat anguis;
Sic etiam Marti ſonipes aſſuetus & armis,
Debilior quamvis ſenio jam factus & annis,
Ore tamen ſævit, frendénſque immanè, lupatis
Incubat, & ſurgens terram pede pulſat inerti.
Aſt ego non tantùm miror potuiſſe nocere,
Aut voluiſſe greges iterum lacerare *Britannos:*
(Non etenim monſtrum videas crudelius ullum,
Sive per *Æthiopum* latè deſerta peragres,

Seu

Seu *Nomadum* ſylvas, & inhoſpita rura *Moloſſæ*)
Sed miror, quòd noſtra, feras cùm ſperneret iſtas,
Inſula, carnivorûm tellus inimica luporum,
Hunc tamen ediderit, quo non violentior ullus
Incolit extremi nemus & juga celſa *Pachyni*.
Theſt. Et mihi, dum tacitas venabar pectore cauſas,
Hæc eadem cœpit res admiranda videri,
Venerat hæc donec potior ſententia menti;
Non illum terris genitum creviſſe *Britannis*,
Sed calidis veniſſe procul regionibus ortum,
Mœnia pinguis ubi latè rigat *Itala Tybris*.
Non etenim genitor nobis hîc cognitus unquam,
Fœmina nec partu ſeſe jactavit ab illo.
Neſcio quo multi genitum tamen eſſe *Savago*,
Et de ſuppoſita natum genitrice ferebant.
Nec mihi difficilis venit hæc ſententia menti,
Namque ſonat *brutum* noſtro ſermone *Savagus*.
Ille tamen, quocunque fuit genitore creatus,
Infelix nimiùm nobis Paſtoribus ortus.
Tunc etenim credo triſti *Saturnus* Olympo,
Horridus, & nullo pacatus ſydere, fulſit.
Nam memini, nimiúmque fuit meminiſſe neceſſe,
Sceptra manu gereret quando Puer aureus ille,
Aureus ille Puer regni cùm ſceptra teneret,
Æmulus *Alcidæ* qui fortia facta ſequutus,
Tergeminum noſtris Serpentem contudit agris,
Mitior ut fuerat primùm ſub carcere clauſus.
Ille tamen poſtquam pejori regna Sorori
Liquerat; ut noſtros iterum redivivus in agros
Irruerit, totíſque furens ſe miſcuit arvis,
Tigribus indomitis & fœtâ ſævior urſâ,
Impaſtam quam fune diu venator & arte

Impli-

Implicuit; donec paulatim vincula rumpens
Gaudet, & inſultans ſylvis prædatur opimis.
Aut velut æſtivus ruptâ tellure per altum
Evehitur, mediúmque vapor ſecat aëra curſu;
Illic cærulea creſcens in nube moratur,
Impatiens donec paulatim carceris, altè
Mugit, & in ſpatium migrans evadit apertum;
Tum verò horribili cœlum clamore fatigat,
Ipsáque terrifico Tellus conterrita planctu
Muta ſilet, muſſant pecudes, pictæque volucres,
Et matris lateri trepidus ſe complicat agnus:
Non aliter ſeſe ruptis effudit habenis,
Sævior & tauris, quos, flammas ore vomentes,
Phaſidos ad ripas domuit *Pagaſæus Iaſon.*
Vulnere ſic olim, ſic damnis ſævior ipſis
Dira venenatæ ſurrexit bellua *Lernæ.*
Tum verò, gregibus lictis, trans alta videres
Currere Paſtores, patriæ neque fidere terræ;
Aut pavidos denſas inter ſe condere ſylvas,
Attonitos ſubitâ tanti formidine monſtri.
Non etenim pecudum calido ſe ſanguine tantùm
Imbuit, aut miſerum raptans ſpoliavit ovile:
Quin etiam cædem Cuſtodibus intulit ipſis.
Tunc etenim (memini) fuſo cecidêre cruore
Myrtilus & *Celadon*, chariſſima pectora nobis,
Dum lacerum trepidúmque metu tutantur ovile.
Vivite, felices animæ, jam ſydera vobis,
Altáque ſub pedibus calcatur regia cœli.
Non ego vos poſthac viridi ſub fronde videbo
Mulcentes pecudes, & carmina grata loquentes.
Et duo præterea noti, *Lycoríſque*, *Moliſque*,
Inſignes calamis ambo. prior arva regebat,

Quà

Quà vetus exeſos tollit *Cantuaria* muros ;
Alter ad irriguas paſcebat *Thameſis* undas.
Non illis aliquæ potum venêre diebus,
Gramina nec triſtes guſtabant læta juvencæ :
Illos & ſylvas, illos & flumina Ponti,
Et vitreis fleviſſe ferunt *Nereïdas* undis.
Ipſe ſuum lacrymis augens & fletibus amnem,
Limoſúſque vadis, & pullo cinctus amictu,
Flevit, & infeſtas turbavit *Thameſis* undas ;
Thameſis argutos qui flumine gignit olores.
Tum quoque, (ceu perhibent) tot funera ferre coactus,
Cœpit & ipſe ſuas *Vulcanus* ſpernere flammas.
Aſt ego, tum fugiens ad proxima littora, tandem
Perveni, *Zephyris* ultro ſpirantibus, illuc
Sequana quà *Belgis Celtarum* dividit agros.
O quoties *Euro* tamen, huc cùm verteret alas,
Mandavi, noſtros inviſeret ille penates,
Forſan an hîc aliqui tanta de ſtrage manerent ?
Non etenim (quamvis multùm Paſtoribus ille
Obfuit) *OEneïos* ità Sus vaſtaverat agros
Spumeus, iratæ vindex famulúſque *Dianæ*.
Hic etenim, donec Sol quinque peregerat orbes,
Palantéſque metu pecudes, pecudúmque magiſtros,
Et gravidas paſſim nullo diſcrimine matres,
Sanguineis inſtans epulis, rapuítque tulítque :
Donec *Nereïdum* pulcherrima venerat *Ægle*,
(*Ægle*, quæ reliquas excellit corpore Nymphas,
Exiguas quantum laurus *Phœbæa* myricas ;)
Et, Procul, O, cohibete Lupum, cohibete ruentem,
Dixerat. Invadunt ſocii, vinc'líſque furentem
Impediunt, captúmque novo ſub carcere claudunt.
Hic jam bis quinos (etenim ſic juſſerat *Ægle*)

De-

Delituit Soles; donec culpantia tantas
Fata moras, ultro *Stygias* rapuêre ſub undas,
Et ſcelerum vindex ſeris Deus abſtulit annis.
At vos, O veteres Paſtorum numina, *Fauni*,
*Pán*que Deus pecorum, cui ruſtica *Mænala* cordi;
Et vos, O Nymphæ nemorum, Satyríque bicornes;
Aut (nè ficta ſequar) potiùs Deus ille, *Palæmon*,
Ille Deus toties quem fiſtula noſtra ſonabit,
Monſtra (precor) noſtris avertat talia regnis.
Pal. At nunc Oceano properat Sol tingere currus,
Et mihi longa viæ pars altera reſtat eunti.
Theſt. Ergò meis potiùs ſuccede penatibus hoſpes,
Craſtina lux donec primos rubefecerit ortus.
Sunt mihi, quos cernis, capti modò flumine piſces,
Pyráque, quæ nuper ramis fragrantia legi:
Et jam ſuadet oves ſub culmina ducere veſper.

PHINEÆ

PHINEÆ FLETCHERI *Cantabrig.*

LOCUSTÆ,

Vel,

PIETAS JESUITICA.

PAnditur Inferni limen, patet intima *Ditis*
Janua; concilium magnum, *Stygiósque* Quirites
Accitos, Rex ipſe nigra in penetralia cogit.
Olli conveniunt, volitant umbroſa per auras
Numina, *Tartareóque* tumet domus alta Senatu.
Conſidunt, numeróque omnes ſubſellia juſto
(Concilium horrendum) inſternunt, causámque fluendi
Intenti exſpectant. Solio tum *Lucifer* alto
Inſurgens, dictis umbras accendit amaris;
Manéſque increpitans cunctantes, Cernitis, inquit,
(Cœlo infenſa cohors, exoſa, expulsáque cœlo)
Cernitis, ut ſuperas mulcet Pax aurea gentes?
Bella ſilent, ſilet injectis oppreſſa catenis,
Inque *Erebum* fruſtrà è terris redit exſul *Erinnys.*
Divino interea reſonant Sacraria verbo;
Indomitus poſſeſſa tenet ſuggeſta Miniſter,
Et victus victórque novos vocat impiger hoſtes.
Et nunc ille minis ſtimulans, nunc læta reponens,
Scitè animos flectit monitis, & corda remulcet.
Quin etiam Sancti vulgata ſcientia Scripti
Invexit ſuperos terris, & luce coruſcâ

Diſſolvit

Diſſolvit tenebras, noctémque excuſſit inertem.
Creſcit in immenſum Pietas, finéſque recuſat
Relligionis amor. fugit Ignorantia, lucis
Impatiens; fugit Impietas, artúſque pudendos
Nuda Superſtitio, & nunquam non devius Error.
Vim patitur, gaudétque trahi cœleſte rapíque
Imperium. Quin &, gentes emenſa ſupremas,
Virginiam (noſtras, Umbræ, tot ſecula ſedes)
Aggreditur; mox *Cocytum*, *Stygiáſ*que paludes
Tranabit; vix hunc nobis *Acherontа* relinquet.
Nos, contrà, immemori per tuta ſilentia ſomno
Sternimur interea, & mediâ jam luce ſupini
Stertentes, feſtam trahimus, pia turba, quietem.
Quin, ſi animos ſine honore acti ſine fine laboris
Pœnitet, & proni imperii regníque labantis
Nil miſeret, poſitis flagris, odiíſque remiſſis,
Oramus veniam, & dextras præbemus inermes.
Fòrs Illé, audacis facti & juſtæ immemor iræ,
Placatus faciliſque manus & fœdera junget.
Fòrs ſolito lapſos (peccati oblitus) honori
Reſtituet, cœlum nobis ſoliúmque relinquet.
At me nulla dies animi cœptíque prioris
Diſſimilem arguerit: quin nunc reſcindere cœlum,
Et conjurato victricem milite pacem
Rumpere, ferventíque juvat miſcere tumultu.
Quò tanti cecidêre animi? quò priſtina virtus
Ceſſit, in æternam quâ mecum irrumpere lucem
Tentâſtis, trepidúmque armis perfringere Cœlum?
Nunc verò indecores felicia ponitis arma,
Et toties victo imbelles conceditis hoſti.
Per vos, per domitas cœleſti fulmine vires,
Indomitúmque odium, projecta reſumite tela;

Dum fas, dum breve tempus adeſt, accendite pugnas,
Reſtaurate acies, fractúmque reponite Martem.
Ni facitis, mox ſoli, & (quod magis urit) inulti
Æternùm (heu !) vacuo flammis cruciabimur antro.
Ille quidem, nullâ, heu ! nullâ violabilis arte,
Securum ſine fine tenet, ſine milite regnum ;
A nullo patitur, nullo violatur ab hoſte.
Compatitur tamen, ínque ſuis violabile membris
Corpus habet. Nunc, O, totis conſurgite telis ;
Quà patet ad vulnus nudum ſine tegmine corpus,
Imprimite ultrices, penitúſque recondite flammas.
Accelerat funeſta dies, jam limine tempus
Inſiſtit, cùm nexa ipſo cum Vertice membra
Naturam induerint cœleſtem ; ubi gloria votum,
Atque animum ſplendor ſuperent ; ubi gaudia damno
Creſcant, deliciæque modum finémque recuſent.
At nos ſupplicio æterno, *Stygiiſ*que catenis
Compreſſi, flammis & vivo ſulphure tecti,
Perpetuas duro ſolvemus carcere pœnas.
Hic anima, extremos jam tum perpeſſa dolores,
Majores ſemper metuit, queritúrque remotam,
Quam toto admiſit præſentem pectore, mortem ;
Oráque cæruleas perreptans flamma medullas
Torquet anhela ſiti, fibráſque atque ilia lambit.
Mors vivit, moritúrque inter mala mille ſuperſtes
Vita, vicéſque ipſa cum morte & nomina mutat.
Cùm verò nullum moriendi conſcia finem
Mens reputat, cùm mille annis mille addidit annos,
Præteritúmque nihil venturo detrahit ævum,
Mox etiam ſtellas, etiam ſuperaddit arenas,
Jámque etiam ſtellas, etiam numeravit arenas ;
Pœna tamen damno creſcit ; per flagra, per ignes,

Per

Per quicquid miſerum eſt, præceps ruit, anxia lentam
Provocat infelix mortem; ſi fortè relabi
Poſſit, & in nihilum rurſus diſperſa reſolvi.
Æquemus meritis pœnas; atque ultima paſſis,
Plura tamen magnis exactor debeat auſis.
Tartareis mala ſpeluncis, vindictáque cœlo
Deficiat. nunquam, nunquam crudelis inultos
Immeritóſve *Erebus* capiet. meruiſſe nefandum
Supplicium mediòs inter ſolabitur ignes,
Et, licèt immenſos, factis ſuperâſſe dolores.
Nunc agite, O proceres, omnéſque effundite technas;
Conſulite, imperióque alacres ſuccurrite lapſo.
Dixerat; inſequitur fremitus, trepidantiáque inter
Agmina ſubmiſſæ franguntur murmure voces.
Qualis, ubi Oceano mox præcipitandus *Ibero*
Immineat *Phœbus*, flaviſque ad littora *Chami*
Conveniunt, glomerántque per auras agmina muſcæ,
Fit ſonitus; longo creſcentes ordine turbæ
Buccinulis voces acuunt, ſocióſque vocantes,
Undas nube premunt: ſtrepitu vicinia rauco
Completur, reſonántque accenſis littora bombis.
Poſtquam animi poſuêre, ſoníque relangüit æſtus,
Excipit *Æquivocus*, quo non aſtutior alter
Tartareos inter technas effingere Patres.
Illi caſtra olim numero farcibat inerti
Creſcens in ventrem Monachus, ſimul agmine juncti
Tonſi ore, & tonſi lunato vertice Fratres:
At nunc felici auſpicio *Jeſuitica* Princeps
Agmina ducebat, veteranóque omnia latè
Depopulans, magnas paſſim infert milite clades.
Illum etiam pugnantem, illum admirata loquentem
Circuit, & fremitu excepit plebs vana ſecundo.

Composuêre animos omnes, tacitíque quiêrunt:
Surgit, & haud læto *Æquivocus* sic incipit ore.
O Pater, O Princeps Umbrarum, *Erebi*que potestas,
Ut rebare, omnes nequicquam insumpsimus artes:
Nil tanti valuêre doli, nihil omnibus actum
Magnorum impensis operum; verùm omnia retro
Deteriùs ruere, ínque bonum sublapsa referri.
Non secùs adverso pictum tenet amne phaselum
Anchora, si funem, aut mordaces fibula nexus
Solverit, atque illum pronâ trahit alveus undâ.
Nec quenquam accusa: tentatum est quicquid apertâ
Vi fieri, aut pressâ potuit quod tectiùs arte.
Ille Pater rerum, cui frustrà obnitimur omnes,
(Sed frustrà juvat obniti) vim magnus inanem
Discutit, & cœlo fraudes ostendit aprico.
Quin soliti lento Reges torpescere luxu,
Palladiis nunc tecti armis, Musísque potentes,
In nos per mediam meditantur prælia pacem.
Nec tamen æternos obliti (absiste timere)
Unquam animos, fessíque ingentes ponimus iras.
Nec fas; non sic deficimus, nec talia tecum
Gessimus, in cœlos olim tua signa sequuti.
Est hîc, est vitæ & magni contemptor Olympi,
Quíque oblatam animus lucis nunc respuat aulam,
Et domiti tantùm placeat cui Regia cœli.
Nè dubita, nunquam fractis hæc pectora, nunquam
Deficient animis: priùs Ille ingentia cœli
Atria, desertósque æternæ lucis alumnos
Destituens, *Erebum* admigret noctémque profundam,
Et *Stygiis* mutet radiantia lumina flammis.
Quòd si acies fractásque iterum supplere catervas
Est animus, scitéque malas dispergere fraudes;

Non

Non ego conſilii, armorum non futilis author.
Nec veteres fruſtrà, Genitor, revocabimus artes ;
Sed nova, ſed nulli prorſus ſperanda priorum
Aggredienda mihi conamina. Non ego lentos
Nequicquam adſtimulem Fratres, alvúmque ſequentes
Diſtentam Monachos. Dum nox, dum plurima terris
Incumbens caligo animos ſopivit inertes,
Non ingratus erat Fratrum labor ; omnia nobis
Artibus ignavis dederat ſecura, trahénſque
Inviſam cœlo lucem, tenebríſve nitentem
Involvens, jam nube diem, jam nocte premebat.
At nebulas poſtquam *Phœbus* dimovit inanes,
Tartareæ immiſſo patuerunt lumine ſordes,
Nec patitur lucem miles deſuetus apertam.
Nunc alio imbelles tempus ſupplere cohortes
Milite, & emeritos caſtris emittere Fratres :
Nunc *Jeſuitarum* Sanctum prodentia Nomen
Arma manúſque placent. juvat ipſum invadere cœlum,
Syderáque hærentémque polo detrudere Solem.
Jam mihi ſacratos felici milite Reges
Protrahere, atque ipſum cœli calcare Tyrannum
Sub pedibus video. Nihil iſto milite durum,
Nil ſanctum clausúmque manet, quin oppida latè
Præſidiis urbéſque tenent ; jam limina Regum,
Jámque adyta irrumpunt ; vel mollibus intima blandi
Corda dolis ſubeunt, vel ferro & cæde refringunt.
Hi vetulæ fucum *Romæ* pigméntaque rugis
Aptantes, ſeros effœtæ nuper amores
Conciliant, lapsúmque decus formámque reponunt.
Ni facerent, (noctem cœlíque inamabile lumen
Teſtor) mox aliæ ſedes, nova regna per orbem
Exſulibus quærenda ; ſolóque atque æthere pulſis,

Cocytus tantùm nobis, *Erebúſque* pateret.
Quin tu, magne Pater, *Stygias* rèclude cavernas,
Ac Barathrum in terras, *Orcúm*que immitte profundum;
Inſueti totum Superi mirentur *Avernum*.
Hic ſolita infidis inſpiret prælia *Turcis*;
Sarmatas hic gelidóſque incendat Marte *Polonos*,
*Germanóſ*que duces; hic Reges inflet *Iberos*,
Regnorúmque ſitim, & nullo ſaturabile pectus
Imperio ſtimulet, diróque intorqueat æſtu.
Ite foras, *Stygiæ* (Princeps jubet) ite catervæ,
Vipereas inferte manus, ferite arma per agros,
Et ſcelerum, & fœti diſpergite ſemina belli.
Aſt ego *Tarpeium Tiberina* ad flumina Patrem,
Conciliúmque petam ſolus, mea regna, *Latinum*,
Murice veſtitum, rubcóque inſigne galero.
Mox, ſcelere ingenti atque ingenti cæde peractâ,
Regrediar, *Stygiáſ*que domus, & inania latè
Undique collectis ſupplebo regna colonis.
At tu, magne Pater, fluitantes contrahe Manes,
Præcipitéſque vias latóſque extende meatus;
Ut patulo denſùm volitantes *Orcus* hiatu
Corripiat rabidus Mentes, intúſque recondat.
Dixit; & illæti perfracto limine *Averni*
Exſiliit primus, lucémque invalit apertam.
Inſequitur deforme Chaos; ruit omne Barathrum,
Fœda, horrenda cohors. trepidant pallentia Cœli
Lumina, & incerto Tellus tremit horrida motu.
Ipſe pater pronos laxatis *Phœbus* habenis
Præcipitat currus, & cœlo territus exit.
Succedit nox umbrarum, cœlúmque relictum
Invadit, multâque premit caligine terras.
Non ſecùs *Æoliis* emiſſi finibus *Auſtri*

Omnia

Omnia corripiunt, terráſque undáſque tumultu
Miſcent; arboreos fœtus, ſegetémque reſectam
Turbine convellunt rapido, verrúntque per auras.
Aſt oculis longè mœſtus ſua vota colonus
Inſequitur, totóque trahit ſuſpiria corde.
Senſerat adventum, ſubitóque inſerbuit æſtu
Terra, odiíſque tumet, fœto jam turgida bello:
Circùm umbræ volitant, fraudéſque & crimina ſpargunt.
Hic gelidos ſemper nivibus glaciéque *Polonos*
Exacuit, tacitéque ſubit *Jeſuitica* totus
Pectora, jámque dolos cædéſque inſpirat: at illa
Arripiunt avidè flammas, notæque per oſſa
Diſcurrunt furiæ, ínque ſinus ínque ilia ſerpunt.
Jámque in cognatos meditantur bella *Suëvos*;
*Sarmaticáſ*que ardent *Romano* adnectere gentes
Pontifici, & *Græcas* templis expellere leges.
Fictitiam Regis ſobolem, conſutáque belli
Crimina ſupponunt vafri, mentitáque veris
Texunt, *Sarmaticóſ*que implent rumoribus agros.
Cædibus accreſcit bellum, regníque medullis
Hæret inexpletum. ſemper nova prælia victus
Integrat. erubuêre nives jam ſanguine tinctæ
Purpureo, & tepidâ ſolvuntur frigora cæde.
Aſt alii *Graias* olim cognomine terras
(*Graias*, *Pieriis* gratiſſima nomina Muſis;
Nunc domitos tutus conſedit *Turca* per agros:)
Inviſunt alacres, bello loca fœta perenni,
Et tenero cædem inſpirant & prælia Regi.
Nunc oculo, nunc voce ferox, nunc fronte minatur.
Non epulis luxúve puer, non ille paternâ
Deſidiâ gaudet; ſed bella, ſed aſpera cordi
Ira ſedent, ſævámque ſuperbia *Turcica* mentem

Inflat, & ingentes volvit ſub pectore motus.
Aut is linigeras aptabit claſſibus alas;
Aut galeas finget, clypeóſque, & (fulmina belli)
Tormenta. impoſitis ſtrident incudibus æra.
Et nunc ille ferox *Perſas Aſiámque* rebellem
Subjiciens, totum ſpirat de pectore Martem,
Exſultánſque animis multâ ſe ſuſcitat irâ.
Heu! quæ Chriſticolis cædes, quàm debita peſtis
Imminet! heu! quantus tanto timor inſtat ab hoſte,
Ni Tu, *Chriſte*, malum avertas, Tu fulmina, *Chriſte*,
Diſpergas, & vana manu conamina ludas!
Interea toto dum bella ſeruntur in orbe,
Italiam Æquivocus magnam & *Tiberina* fluenta
Adveniens, intrat feralis mœnia *Romæ*.
Nec mora, nota ſubit mitrati tecta Tyranni;
Quáque incedit ovans, adytíſque vagatur opacis,
Inſperata *Erebo* vel aperto crimina Sole
Gaudet ubique tuens, meſſémque exſpectat opimam.
Dicite, *Pierides*, Quis nunc tenet *Itala* primus
Arva? Quibus tandem gradibus, quõ principe Reges
Exuit, & pingues aptans ſibi *Roma* cucullos,
Subjicitur raſo modò facta Sororcula Fratri?
Siccine decrepiti pueraſcunt tempore mores,
Pontifice *Auguſtum* ut mutent, Monachóq; Monarcham?
Poſtquam res *Latii* totum porrecta per orbem
Creverat; & terras Urbi ſubjecerat uni,
Subſtitit, & juſto librata in pondere ſedit.
At mox prona ruens, in ſe converſa, relabi
Cœpit, & effœtam vix jam, vix ſuſtinet urbem.
Haud ſecùs alternis creſcentes fluctibus undæ
Incedunt, faciléſque Actæ ſuperantia clivos
Æquora prorepunt tacitè, mox littora complent,

Sub-

Subjectáſque procul deſpectant vertice terras:
Jámque viarum incerta hærent, mox prona recedunt;
Defervénſque undis paulatim in ſe ipſe reſidit
Nereus, & nulli noto caput abdidit alveo.
Interea Patrum manibus cœleſtia paſſim
Semina ſparguntur, ſurgit cum fœnore campis
Læta ſeges, pleníſque albeſcunt meſſibus arva.
At ſimul hirſutis horrebat carduus agris,
Et tribuli loliíque nemus, ſimul aſpera lappæ
Sylva, & lethæos operata papavera ſomnos.
Quippe hominum cœlíque hoſtis, dum membra colonis
Feſſa quies laxat, tritico vilémque faſelum
Miſcuit infeſtus, viciáſque aſperſit inanes.
Mirantur lolium agricolæ, mirantur avenas;
Mortiferáſque horrent mediis in meſſibus herbas.
Quin etiam imperio *Chriſti*, *Pro-chriſtus* eodem,
Parvus adhuc, clauſúſque utero ſuccrevit opaco:
Jámque vias trudens tentaverat. integra *Romæ*
Auſpicia impediunt, auſíſque ingentibus obſtant.
At *Latiis* poſtquam imperium ſegneſceret arvis,
Inque *Biſantinas* ſenſim concederet urbes,
Exſilit, & juſto prodit jam firmior ævo.
Mox etiam laxis paulatim aſſuetus habenis,
Mauricio ſcelere extincto, duce & auſpice *Phocâ*,
Excutit aurigam, ínque rotas ſuccedit inanes.
Et nunc raſorum longus producitur ordo
Pontificum; magicâque rudem *Stygiâque* popellum
Arte ligans, *Itala* ſolus dominatur in aula.
Jámque furens animis, & torquens fulmina, ſceptrum
Paulus habet, clavéſque manu violentus inanes
Projiciens *Petri*, gladio ſuccinctus acuto
Intonat, & longè diſtantes territat urbes.

Stulte,

Stulte, quid æterni crepitantia fulmina Patris,
Cœleſtéſque minas, & non imitabile numen,
Ignibus, ah! fatuis ſimulas? *Venetóſque* ſagaces,
Et non fictitio terrendos igne *Britannos*
Exagitas? Aſt hi contrà, cùm debita poſcunt
Tempora, (non illi voces, verboſáque chartæ
Fulmina) tela alacres, veráſque in mœnia *Romæ*
Incutient flammas, carnéſque & viſcera mandent.
Arma foris Regum Meretrix vetula, arma dolóſque
Exercet; *Circæa* domi ſed carmina, & artes
Infandas magicis dirùm miſcendo ſuſurris,
Irritat flammis, duróſque obtrudit amores.
At cùm feralis languet ſaturata libido,
In facies centum, centum in miracula rerum
Corpora *Lethæo* transformat adultera cantu.
Aut Aſini fiunt, Vulpéſve, hirtíve Leones,
Atque Lupi, atque Sues, atque exoſæ omnibus Hydræ.
Illi, capta quidem dextro, ſed acuta ſiniſtro
Lumine, deformis cæcæ Ignorantia portæ
Excubat, & nebulis aditus & limen opacat.
Filius huic *Error* comes aſſidet: ille vagantes
Excipit hoſpitio, & longis circum undique ducit
Porticibus, veterúmque umbras ſimulacráque rerum
Mirantes, variis fallit per inania ludis.
Intrantem prênſat mores venerata vetuſtos
Stulta *Superſtitio*, properantéque murmura voce
Præcipitans, votis Superos precibúſque fatigat.
Interiùs *Scelus* imperitat, fœcundáque regnant
Flagitia, & mentes trudunt rapiúntque nefandas.
Inficit hic cœlos audax, *Chriſtúm*que venenans
Porrigit immiſtis Regi ſacra tanta cicutis.
Lethalem ille Deum, atque imbutam morte ſalutem

Ore

Ore capit, multóque lavat peccata veneno.
Hic clavos, virgáſque, crucémque, (tua, optime *Jeſu*,
Supplicia) haſtámque innocuo ſub corde refixam,
Hic truncum, hic ſaxum (ſaxo contemptior ipſo)
Propitium implorat ſupplex ; *Stygiiſque* ululantes
Speluncis flexo veneratur poplite Manes.
Hic *Cereri*, & fluido procumbit ſtultus *Iacchо* ;
Quóſque colit vorat ipſe Deos, & numina plenis
(Ah ſcelus !) abſcondit venis, alvóque reponit.
Hic caligantes, cœlum exſecratus apertum,
(Te magicos, *Jeſu*, te immittens Sagus in ignes,)
Umbras, imperiis audax, *Stygiúmque* nefando
Ore *Jovem*, totúmque vocat de ſedibus *Orcum*.
Romulidûm ille Patrum, primæq; haud immemor urbis,
Et fovet ipſe lupas, atque ipſe fovetur ab illis.
Hic, ſobolem impurus prohibens, caſtóſque hymenæos,
Ah ! pathicos ardet pueros, & maſcula turpis
Scorta alit ; (heu ! facinus terris cœlóque pudendum
Auſus.) Purpureo quin mox Pater ille galero
Emeritos donat, proceréſque, oviúmque magiſtros
Eſſe jubet ; mox dura Pater, Muſíſque tremenda
Laudat, & inceſtis tutatur crimina Mutis.
Nec requies, fervent nova crimina, fervet honorum
Nummorúmque infanda ſitis : tumet improba faſtu
Conculcans ſtratos immenſa Superbia Reges.
Venerat huc, lætúſque animi vetera agmina luſtrans,
Æquivocus falſi ſubiit penetralia *Petri* :
Quem, ſuper *Anglorum* rebus, *Venetóque* tumultu
Ardentem, curæ, & ſemper nova damna coquebant.
Huic *Stygius* ſub corde faces, omnéſque nefando
Pectore ſuccendit furias. Ille improbus irâ
Concilium vocat. agglomerant imberbia Fratrum
Agmi-

Agmina ; concurrunt veteranis ordine longo
Inſignes ducibus *Jeſuitæ*, animíſque parati,
Sive dolo libeat, ſeu Marti fidere aperto.
Diſcumbunt, ſedet in mediis diademate *Paulus*
Tempora præfulgens triplici ; vultúque dolorem
Præfatus, ſic tandem iras atque ora reſolvit.
Nil pudet incepto victos deſiſtere, feſſos
Deficere, extremóque ferè languere ſub actu,
Nec poſſe inſtantem *Romæ* differre ruinam ?
Fata vetant. Méne incertis concedere fatis ?
Incluſus latebris Monachus tot vertere prædas,
Tot potuit Patri *Romano* avellere gentes ?
Aſt ego, quem ſtrato venerantur corpore, ſacris
Blanda etiam pedibus libantes oſcula, Reges,
Quem Superi, quem Terra tremit, Manéſque profundi,
Qui ſolio *Chriſti* aſſideo, *Chriſto* æmulus ipſi,
Tot mala quottidie, & ſemper creſcentia inultus
Damna fero : & quiſquam *Romanum* numen adoret ?
Aut vigiles ſupplex munus ſuſpendat ad aras ?
Jam *Veneti* juga detrectant, & juſſa ſuperbi
Deſtituunt. *Batavus* nullâ revocabilis arte
Effugit, longéque eſcas laqueóſque recuſat.
Gallia tot compreſſa malis, tot cladibus acta,
Deficit, & jam dimidiâ plùs parte receſſit.
Ille *Navarrenâ* infelix ex arbore ramus,
(Exoſum genus, & divis hoſtile *Latinis*)
Quanquam oculos fingens placidos vultúſque ſerenat,
Aggerat ingentem memori ſub corde dolorem.
Et velut ille fame & vinc'lis infractus ahenis,
Oblitúſque leo irarum, caudámque remulcens,
Porrectas manibus captabit leniter eſcas :
Si ſemel inſueto ſaturaverit ora cruore,

Mox

Mox ſoliti redeunt animi; fremit horridus irâ,
Vincula mox & clauſtra vorat, rapit ore cruento
Cuſtodem, & primas domitor lacer imbuit iras.
Quid referam totâ diviſos mente *Britannos*,
Quos neque blanditiæ molles, non aſpera terrent
Jurgia, non ipſos ſternentia fulmina Reges?
Heu ſobolem inviſam, & fatis majora *Latinis*
Fatâ *Britannorum*! Centum variata figuris
Proditio, flammis, ferróque, atróque veneno,
Nil agit: infenſum detorquet vulnera Numen.
Nil *Hiſpana* juvat pubes, nil maxima claſſis,
Quam Tellus ſtupuit, ſtupuit *Neptunus* euntem,
Miratus liquidum ſylveſcere pinibus æquor.
Quin toto disjecta mari fugit æquore prono;
Jámque relaxatos immittens navita funes,
Increpitat ventos properans, *Euróſque* morantes.
Tot precibus properata ægre, fruſtráque redempta,
Quid læti tulit illa dies, quâ ſydus *Eliſæ*
Occidit, & longo ſolvit ſe *Roma* dolore?
Occidit illa quidem, quâ nullam *Roma* cruentam
Noſtra magis vidit, fauſtámve *Britannia* ſtellam.
Sed ſimul exoritur, quem nos magis omnibus unum
Horremus, gelidâ conſurgens *Phœbus* ab *Arcto*;
Quem *Pallas*, quem Muſæ omnes comitantur euntem.
Pax ſimul incedit læto *Saturnia* vultu;
Lora manu laxans, trahitur captiva catenis
Barbaries, polítóque gemens *Bellona* flagello.
Non me nequicquam junctum uno fœdere triplex
Imperium terret, terret fatale *Jacobi*,
Nec fruſtrà impoſitum Luctantis ab omine, nomen.
Quin ſimilis Patri ſoboles, inimica *Latino*
Nomina Pontifici aſſumens, radiante ſuperbos

Henricos

Henricos puer & *Fredericos* exprimit ore.
Nunc & equos domitare libet, ſpumantiáque ora
Colligere in nodum, ſinuoſáque flectere colla,
Et teneris haſtam jam nunc jactare lacertis.
Quin etiam ille minor, ſed non minùs ille timendus,
Carolus, haud læto turbat nos omine, cujus
Mortiferam accepit primò ſub nomine plagam
Roma, &, lethali languens in vulnere, lentâ
Peſte cadit, certámque videt moribunda ruinam.
Illa etiam inferior ſexu, non pectore, terret,
Quæ reducem nobis fœcundam oſtentat *Eliſam*;
Inviſum, majus fatis, ac cladibus auctum
Nomen, & invictam ſpondens poſt prælia pacem.
Nec me vanus agit terror, quippe illius ore
Prævideo multas nobis, nili fallor, *Eliſas*.
Quæ mihi ſpes ultrá? Vel me præſaga mali mens
Abſtulit, & veris majora paveſcere juſſit;
Vel calamo Pater & Muſis, ſed Filius armis
Sternet, & extremis condet mea mœnia flammis.
Hei mihi! ſydereæ turres, túque æmula cœli
Urbs, antiqua Deûm ſedes, reginâque terræ,
Quam lana *Aſſyrio* pingit fucata veneno,
Quam veſtes auro ſtellâſque imitante pyropo
Illuſæ decorant, oſtro coccóque pudentes,
Cui tantum de te licuit? quæ dextera ſacras
Dilacerare arces potuit? quo numine turres
Dejicere, ingentíque vias complere ruinâ?
Conticuit; triſtíſque diu ſtupor omnibus ora
Defixit, miſtóque ſinus premit ira dolore.
Ut redîêre animi, ſtrepitus, junctæque querelis
Increbuêre minæ: dolor iras, ira dolorem
Aggerat, alterniſque incendunt pectora flammis:

Tota

Tota minis, miſtóque fremunt ſubſellia luctu.
At ſonitus inter medios, & maximus ævo,
Et ſceptris *Jeſuita* potens, cui cætera parent
Agmina, conſurgens ultro ſeſe obtulit. Illo
Conſpecto ſiluêre omnes, atque ora tenebant
Affixi. Verba *Æquivocus* verſuta loquenti
Suggerit, & cordi cuſtos oríque reſidit.
O Pater, O hominum Princeps, O maxime divûm
Conditor, haud minor ipſe Deo; jam parva caduco
Spes ſupereſt regno, neque te ſententia fallit:
Mœnia præcipitem ſpondent ſublapſa ruinam.
Nullum igitur lacrymis tempus, quin ocyùs omnes
Sarcimus veteres, aliáſque reponimus arces.
Quid prohibet quin arte diu tua *Roma* ſuperſit,
Quâ vel nunc ſupereſt? Fatum ſibi quiſque ſupremum eſt,
Et ſortis faber ipſe ſuæ. Nunc, optime, noſtram
Quâ fieri poſſit paucis, Pater, accipe mentem.
Ut qui armis hoſtile parat reſcindere vallum,
Non ubi confertis armantur mœnia turmis,
Aut altis cinguntur aquis, ſed quà aggere raro,
Atque humiles tenui muros cinxêre coronâ,
Irruit, incautámque malis premit artibus urbem:
Non ſecùs infirmi nutantia pectora ſexûs
Blanditiis tentanda, dolóque adeunda procaci.
In tenui labor, at lucrum non tenue ſequetur.
Vincitur, & vincit citiùs; citò fœmina diſcit
Errores, ſcitéque docet. gremio illa virili
Infuſa, & niveis cunctantem amplexa lacertis,
Blanda ſinus leviter molles & pectora vellit;
Mox domitæ imperitat menti: bibit ille venenum,
Et rapit errores animo, penitúſque recondit.
Qui toties ſeptus, toties invictus ab hoſte

Conſtitit,

Conſtitit, armatum qui dente atque ungue leonem
Manoïdes dextrâ impavidus lacerabat inermi,
Pellicis in gremio crinem robúrque relinquens,
Fœmineâ infelix (nullis ſuperandus ab armis)
Arte, ſine enſe jacet, ſine vi, ſine vulnere victus.
His, Pater, haud levibus viſum eſt præludere telis.
Et quoniam illecebris flecti, frangíve recuſat
Vi *Batavus*, technis ſubeundus, & arte domandus.
Apta nec anſa deeſt. manet illic fortè, ſcholíſque
Imperitat, vafri ingenii fideíque labantis
Arminius, quem magna ſtupet ſequitúrque caterva,
Amphibium genus, & ſtudiis hoſtile quietis.
Hi ſuetis ſtimulandi odiis, ſcitíſque fovendi
Laudibus, ac donis onerandi, rebus *Iberis*
Ut faveant, ſceptrum *Hiſpano* obſequiúmque reponant.
Proximus in *Gallos* labor eſt, quos agmine pleno
Averſos, iterum ad *Romam* matrémque reducam.
Pariſios vobis facilè ſuccidere flores,
Liliáque *Hiſpano* dabimus calcanda Leoni;
Et trunca, ad ſolitum decuſſo vertice morem,
Stemmata, radicémque arvis transferre *Granatis*.
Illa *Navarrena* infelix ex arbore planta
Enſe recidenda eſt, flammíſque urenda ſupremis.
Dúmque tener flectíque poteſt, neſcítque reniti
Surculus, in truncum mox immittatur *Iberum*.
Oblitus primi, *Hiſpanum* propagine ſuccum
Imbibat, *Hiſpanis* excreſcant germina ramis.
Quin modò qui ſectâ viduus manet arbore ramus,
Hiſpano diſcat, ſi fas, inoleſcere libro,
Et duplex pietas duplicato creſcat amore.
Hic tragicæ prologus ſcenæ. majora paramus;
Non facinus vulgare ſero: quod nulla tacebit,

Credet

Credet nulla dies, magnum populíſque tremendum
Omnibus incepto. Nequicquam verba minásque
Conterimus; nequicquam artes projecimus omnes.
Tempora nos urgent mortis ſuprema, ſupremum
Tentandum ſcelus eſt: tollatur quicquid iniqui
Obſtiterit. Nec te larvati nomen honeſti
Terreat, aut ſceleris: quin tu moderator honeſti,
Regula tu juſti. Per fas, Pater optime, nobis
Pérque nefas tentanda via eſt, quâ frangere duros
Poſſimus, *Latiúm*que ipſis inferre *Britannis*.
Illi hoſtes, illi telíſque dolíſque petendi:
Vindictam reliqui tantam videántque tremántque.
Nec mihi mens ſolum gelidis auferre cicutis,
Aut armis Regem, cultróve invadere: magnum,
Sed priùs auditum, eſt facinus: certiſſimus ultor
Et ſceptris odiíſque puer ſuccedet avitis.
Sed Regem pariter, paritérque inflexile ſemen,
Sed Proceres, Patréſque Equitéſque, & quicquid ubique
Prudentis vulgi eſt, ictu truncabimus uno.
Quin domitos ſine telo omnes, ſine vulnere victos
Flagitio, Pater, una uno dabit hora *Britannos*.
Quà facere id poſſim, paucis (adverte) docebo.
Stat bene nota Domus, ſaxo conſtructa vetuſto,
Marmore cælato, & *Pariis* formoſa columnis,
Quà celebris, *Thamo* generatus & *Iſide* nymphâ,
Thamiſis inflexo *Ludduni* mœnia fluctu
Alluit, ingentémque excurrere mœnibus urbem,
Creſcentéſque videt ſemper ſplendeſcere turres.
Quáque *Auſtros* patulis immittit aperta feneſtris,
Fronte ſuperbâ altè ſubmiſſas deſpicit undas.
Huc fluere, & primis omnes concurrere regnis
Et Proceres terræ & Patres Plebémque *Britannæ*.

Ipſe etiam primum totâ cum prole Senatum
Reginâ ſimul ingreditur comitante *Jacobo*.
Hic lapſos revocant mores, *Romæ*que cruentas
Imponunt leges, & pœnas ſanguine poſcunt.
At latebræ ſubter cæcæ, magníſque cavernæ
Excurrunt ſpatiis, multo loca fœta *Lyæo*.
His tacitè nitrum & viventia ſulphura tectis
Subjiciam, *Stygió*que implebo pulvere ſedes.
Ut numero primùm creſcunt ſubſellia juſto,
Et ſemel intumuit pleno domus alta Senatu,
Tecta ruam. juvat horrendos procul aure fragores
Excipere, & miſtas latoribus aëre leges
Correptas ſpectare : juvat ſemuſta virorum
Membra, omnéſque ſupra volitantes æthere Reges
Cernere. rupta gemet tellus, & territa cœli
Diſſilient ſpatia : aſt alto ſe gurgite præceps
Thamiſis abſcondet : mirabitur æthera *Pluto*,
Et trepidi fugient immiſſo lumine Manes.
Dixerat. Applaudunt omnes ; magis omnibus ipſe
Conſilium laudat ſanctus Pater : ipſe labantis
Patronum *Romæ* læto ſic ore ſalutat.
Dii Patribus fauſti ſemper cultíque *Latinis*,
Non omnino tamen morituræ mœnia *Romæ*
Deſeritis, tales cùm animos & tanta tuliſtis
Pectora : jam verſis *Latium* floreſcere fatis
Aſpicio, effœtámque iterum juveneſcere *Romam*.
Aſt ego quas tandem laudes pro talibus auſis,
Quæ paria inveniam ? Quin tu mox aureus æde
Stabis, victrici ſuccinctus tempora lauro.
Ipſe ego marmoreas, meritis pro talibus, aras
Adjiciam ; ipſe tibi vota, & pia thura frequenter
Imponam, & ſummos jam nunc meditabor honores.

Salve

Salve, præſidium fidei columénque *Latinæ:*
Incipe jam cœlo aſſueſci, ſtellâſque patentes
Ingreditor, manibúſque coli jam diſce ſupinis.
Interea *Æquivocus*, Manes atque infima *Ditis*
Regna petens, magnis *Erebum* rumoribus implet,
Inventum facinus, cujus cœlúmque ſolúmque,
Atque Umbras pudeat ſteriles, quod cuncta, quod ipſas
Vicerit *Eumenidas*, totóque à crimine ſolvat.
At *Jeſuita* memor ſceleris, cœptíque nefandi,
Lucifugæ devota *Jovi* Patríque *Latino*
Pectora de tota excerpit lectiſſima gente.
Digna quidem proles *Itala* de matre *Britanna.*
Hic dirum à [a]*Facibus* certo trahit omine nomen. [a] *Fauxius.*
Ille [b]*Hyemes* referens, magnos portenderat imbres, [b] *Winterus.*
Raptáque perpetuâ minitatur lumina nocte.
Hic trahit à [c]*Foſſis*, raucis hic nomina [d]*Corvis.* [c] *Digbeius.* [d] *Rookſbeius.*
His *Jeſuita* nefas aperit, totúmque recludens
Conſilium, horrendíſque ligans *Acherontica* diris
Vota, truces ipſo cædes oblignat *Ieſu.*
Jámque illi, ruptæ media inter viſcera matris,
Accelerant, duros (agreſtia tela) ligones
Convectant; *Orco* vicini, dirius *Orco*
Infodiunt altè ſcelus, interiúſque recondunt.
Dúmque operi incumbunt alacres, creſcúntque ruinæ,
Neſcio quos multa viſi ſub nocte ſuſurros
Percipere, & tenui incertas cum murmure voces.
Vicinos illi Manes *Erebúm*que timentes
Diffugiunt trepidi, refluunt cum ſanguine mentes:
Jámque Umbris ſimiles, ipſi vitantur ut Umbræ,
Et vitant; ipſíque timent, ipſíque timentur.
Hic medio lapſus curſu, immotúſque recumbens
Preſsâ animâ, clauſíſque oculis, jam ſtagra ſequentis

Tiſiphones, uncáſque manus, & verbera ſperat.
Ille cavas quærit latebras, cupâque receptus
Nitroſâ, trepidos intra ſe contrahit artus.
Sic cùm membra ſilent placidâ reſoluta quiete,
Terrenus nigra inficiens præcordia fumus
Invadit mentem, jámque umbram effingit inanem,
Tædâ umbram *Stygiâ* armatam, ſaniéque madentem:
Omnia turbantur ſubitò; volat ille per auras
Exanimis deménſque metu, fruſtráque refixos
Increpat uſque pedes; præſens inſultat imago,
Jam tergum calcémque terens; vox ore ſepulta
Deficit, & dominum fallaci prodit hiatu.
Ut reduci mox corde metus ſedantur inertes,
Paulatim apparent rari, latebráſque relinquunt:
Incertíque metûs tanti, ſed pergere certi,
Cautiùs arrectâ captabant aure ſuſurros.
Ut tandem humanam agnoſcunt ex murmure vocem,
Læti abeunt; ortóque die vicina *Lyæo*
Sacrata ediſcunt latis excurrere cellis.
Conducunt, nitrúmque avidè ſulphúrque recondunt,
Et ligno ſcelus & conjecto vimine celant.
Jámque nefas felix ſtabat, promptúmque ſeniles
Temporis increpitant greſſus, lucémque morantem.
Sed quid ego nullo effandum, nullóque tacendum
Tempore flagitium repeto? quid nomina Diris
Vota, & perpetuis repeto celebranda tenebris?
At fruſtrà celabo tamen quod Terra ſtupeſcit,
Quod Superi exhorrent, quod *Tartarus* ipſe recuſat,
Ejurátque nefas. inciſum marmore crimen
Vivet in æternum; pariter *Jeſuitica* longùm
Simplicitas vivet, rerúmque piiſſima *Roma*.
Jámque optata dies aderat, quâ, more vetuſto,

Con-

Conveniunt magno Proceréſque Patréſque Senatu.
Ipſe ſacris Princeps devinctus tempora gemmis,
Aut phalerato inſignis equo, currúve ſuperbus,
Ingreditur; lateríque hæret pulcherrima Conjux,
Et ſobole & formâ fortunatiſſima Princeps.
Proximus incedit facie vultúque ſereno
Ille animum oſtentans patrium matríſque decores,
Miſtáque concordi felicia prælia paci,
Henricus; placidóque refulgens *Carolus* ore.
Virgineáſque ſimul, Magnatum incendia, turmas,
Inſignes formâ nymphas, formoſior ipſa
Flagrantes perfuſa genas inducit *Eliſa*,
Et nivibus roſeum commiſcuit ore pudorem.
Haud ſecùs innumeris cœlo ſtipata ſereno
Ignibus incedit, radióſque argentea puros
Dijaculans, cunctis præfulget *Cynthia* ſtellis.
Mox Procerum accreſcunt multo ſplendentia luxu
Agmina, gemmíſque inſignes & murice fulgent,
Conciliúmque petunt conferti. Effuſus euntes
Proſequitur plausúsque virûm, clangórque tubarum;
Et fauſtis miſtus precibus ferit ardua clamor
Sydera, tota fremit feſtis urbs quaſſa triumphis.
Nox erat, & *Facii Titan* ſceleríſque propinqui
Avolat impatiens, ſtímulíſque miníſque jugales
Exagitans, latet adverſo jam tutus in orbe:
Quáque volat, patulæ luſtrans tot crimina terræ,
Nullum æquale videt. *Thracéſque Getáſque* cruentos,
Quíque *Platam*, *Gangem*, rapidum qui potat *Araxem*,
Qui *Phlegetonta*, omnes omni jam crimine ſolvit.
Diffugiunt ſtellæ; nequicquam impervia tentans
Æquora collectis nebulis extinguitur Urſa.
Manibus & ſceleri nox apta. at nigrior ipſâ

Nocte facem plumbo ſeptam, tædámque latentem
Veſte tegens, cellam *Facius* criménque revifit.
Dúmque opus effingit tragicum, facinúſque retexit,
Multa timet ſperátque; hinc pœna, hinc præmia pectus
Sollicitant: dubio deſciſcunt viſcera motu.
Jámque vacillantem *Æquivocus* (cœnámque precéſque,
Cæcúmque obſequium menti, Papámque reponens)
Fulcit, & injectis obfirmat pectora Diris.

Aſt oculos ſummo interea deflexit Olympo
Ille Pater rerum, certo qui ſydera curſu
Magna rotat, terráſque manû & maria improba claudit.
Confectáſque videns fraudes, cæciſque cavernis
Crimina vicino matura tumeſcere partu;
Mox *Aquilam* affatur, ſolio quæ ſternitur imo
Advigilans, liquidáſque alis mandata per auras
Præcipitat: Confeſtim *Anglos* pete nuncia clivos,
Et Proceres ſummis curam de rebus habentes
Aggreſſa, ambiguo fraudes ſermone recludas,
Atque acres cæco turbes ænigmate ſenſus.
Ipſe ego, dum voces alto ſub pectore verſant,
Ipſe oculos mentémque dabo, quâ infanda *Jacobus*
Auſa, & *Tarpeii* evolvat conamina Patris.

Dixerat: at levibus volucris ſecat æthera pennis,
Ocyor & vento, & rapido *Jovis* ocyor igne.
Jámque ſimul niveas *Lugduni* aſſurgere longè
Aſpicit, aſpectáſque ſimul tenet impigra turres.
Penniger hic primùm contrectis nuncius alis
Conſtitit, & formoſa videns fulgeſcere tecta,
Cœtilibus muris pariſque rubentia ſaxo,
Ingreditur, magno poſuit quæ ſplendida ſumptu
Qui patriis major ſucerevit laudibus heros,
Prudentis ſoboles patris prudentior ipſe.

Hunc,

Hunc, ubi conſilium pleno de pectore promit,
Mirantur *Britones* læti, mirantur *Iberi*,
Et laudant animos trepidi, metuúntque ſagaces.
Ille etiam gazam (major tamen ipſe) *Britannam*,
Ille etiam Muſas tutatur, & otia Muſis,
Chamus ubi anguſtas tardo vix flumine ripas
Complet, decrepitóque pater jam deficit amne.
Ille mihi labro teretes triviſſe cicutas,
Ille modos faciles calamo permiſit agreſti.
Huc ubi perventum eſt, mutato nuncius ore
Perplexâ attonito deſcriptas arte tabellas
Tradidit heröi, & mediæ ſeſe ocyùs urbi
Proripiens, ſuetis iterum ſe condidit aſtris.
Ille legens cæci ſtupuit veſtigia ſcripti,
Atque iterum voces iterúmque recolligit omnes,
Jámque hoc, jámque illud, jam ſingula pectore verſat.
Quid te fruſtrà, heros, angis? non, ſi *Oedipus* author
Spondeat, hos animo ſperes reſcindere nodos.
Non minimum eſt crimen crimen præſumere tantum;
Nec virtus minima eſt ſcelus ignoráſſe profundum,
Quod bene cùm ſcieris, non ſit tibi credere tantum.
Poſtquam feſſa oculos nihil ipſa excerpere nigris
Suſpicio ſcriptis potuit, nihil omnibus actum
Conſiliis, ipſi referunt ænigmata Regi.
Ille oculo nodos facili, ſcelerúmque nefandas
Percurrens animo ambages, (dum nubila ſpargit
Lux lucis, mentémque aperit,) mox omnia pandit
Monſtra, aperítque nefas ſolus, tenebráſque reſolvit.
Quin medias inter technas jam nocte profundâ
Artificem ſceleris prêndunt; patet alta nitroſo
Pulvere ſœta domus, penitúſque recondita Soli
Crimina miranti, & cœlo oſtenduntur aperto.

Non ſecùs atque *Euris* media inter viſcera preſſis
Rupta patet Tellus, magnóque fatiſcit hiatu;
Diſſultant pavidi montes, penitúſque cavernis
Immittunt *Phœbum*, Furiáſque Umbráſque recludunt;
Apparet deforme Chaos, *Stygii*que penates,
Apparet Barathrum, & diri penetralia *Ditis*,
Mirantúrque diem perculſi lumine Manes.
Jámque, ipſo pariter cum crimine, criminis author
Protrahitur; circum populus fluit omnis euntem:
Expleri nequeunt animi frontémque tuendo
Torvam, ſqualentéſque genas, nemoróſaque ſetis
Ora, & *Tartareas* referentia lumina tædas.
Ille autem audenti ſimilis, ſimiliſque timenti,
Nunc fremitu turbam, & dictis ridere ſuperbis,
Diductíſque ferox inhiantem illudere labris;
Nunc contrà trepidare metu, tremulóſque rotare
Circùm oculos: jam flagra miſer, dextrámque parati
Carnificis medios inter ſævire cruores
Sentit, jámque *Erebum* ſpectat furibundus hiantem;
Et ſemeſa inter labentes membra dracones
Percipiens, æternæ horret primordia pœnæ.
O Pater, O terræ & ſummi Regnator Olympi,
Quas Tibi pro meritis laudes, quæ munera læti
Tanta ſervati dabimus de clade *Britanni?*
Non nos, non miſeri (nec tanta ſuperbia lapſis)
Sufficimus meritis: ſed quas prius Ipſe dediſti,
Quas iterum ſolus repetis, Pater, accipe mentes.
Dum domus æterno ſtabit pulcherrima ſaxo,
Pulvere ſulphureo & tantis erepta ruinis,
Dum tumidis *Nereus* undarum mœnibus *Anglos*
Soſpitet, & tundat liventes æquore clivos,
Semper honos, ſempérque Tuum ſolenne *Britannis*
Nomen

Nomen erit; Te, Magne Pater, te voce canemus,
Factáque per ſeros dabimus memoranda nepotes.
Tu, Pater, *Æolia* fratres ſub rupe furentes,
Tu premis, immensóque domas luctantia clauſtro
Pectora: Tu vaſtos turbata ad littora montes
Frangis, aquáſque inhibes, Rector, retrahíſque rebelles.
Tu, Pater, hybernæ, Tu laxas vincula nocti,
Et lenta æſtivo tardas vestigia Soli.
Te reduces iterum flores, Te terra jubente
Pubeſcit, virides crineſcunt vertice fagi.
Imperiis Sol ipſe Tuis immitior ignes
Dijaculat *Nemeum* medius Cancrúmque rubentem
Inter, & effœtas tumido de ſemine fruges
Evocat, ac teneras duro coquit aridus æſtu.
Mox iterum ignoto dilapſus tramite *Phœbus*
Declinat, jámque *Æthiopas*, *Nili*que fluenta,
Deſertáſque *Lybum* propior deſpectat arenas.
Nos anni premit effœti properata ſenectus;
Flavent pampineæ frondes, ſalicéſque recurvæ,
Decrepitæ fluxis calveſcunt crinibus ulmi.
Tu, Pater, invictas quas jactat *Iberia* claſſes
Frangis, & ingentes diſpergis in æthera motus.
Jámque etiam ereptâ (ſacro mihi nomine) *Elisâ*,
Ingentem meritos cladem, ingentémque timentes
Reſtituis; placidóque ferens tria ſceptra *Jacobo*,
Multiplicem nobis reddis placatus *Eliſam*.
Salve, ſumme Heros, ætatis gloria noſtræ,
O Decus *Anglorum*, Princeps, patriæque beatus
Muſarúmque pater, placidam tu pacis olivam
Angligenis infers felix, majoráque votis
Gaudia, & æternos firmas in prole triumphos.
Tu bifidum clauſo nobis premis obice *Janum*;

Pieri-

*Pieridúm*que potens armis, feralia ſacræ
Mœnia proſternis *Romæ*, Regúmque lupanar
Diruis, & nimio meretricem vulnere figis.
Accipe pubentem tenerâ lanugine Muſam,
Quæ ſalices inter ſpretas, ulvámque paluſtrem,
(Non lauros palmáſque ambit) proludere diſcit,
Et tentans ſeſe innatos depaſcitur ignes,
Quà Pater externis *Chamus* vix cognita rivis
Flumina demulcens, Regales alluit hortos,
Templáque ſubmiſſis veneratur Regia lymphis.
Mox ubi pennatis crevit maturior alis,
Te canere audebit, tua (Princeps) condere facta:
Exhauſtóque tumens *Helicone*, undantia pleno
Carmina diffundet fluvio. cœlum audiet omne,
Audiet omne nemus: reſonabilis accinet Echo.

THO-

THOMAS MORUS
IN
AULICUM GALLICÆ LINGUÆ AFFECTATOREM.

AMicus & ſodalis eſt *Lalus* mihi,
*Britanniâ*que natus, altúſque inſulâ.
At cùm *Britannos Gallia* cultoribus
Oceanus ingens, lingua, mores dirimant,
Spernit tamen *Lalus Britannica* omnia,
Miratur, expetítque cuncta *Gallica.*
Togâ ſuperbit ambulans in *Gallica*,
Amátque multùm *Gallicas* lacernulas;
Zonâ, locello, & enſe gaudet *Gallico*,
Filtro, bireto, pileóque *Gallico*,
Et calceis & ſubligare *Gallico*,
Totóque denique apparatu *Gallico.*
Nam & unum habet miniſtrum, eúmque *Gallicum*;
Sed quem (licèt velit) nec ipſa *Gallia*
Tractare quiret plùs (opinor) *Gallicè.*
Stipendii nihil dat, atque id *Gallicè*:
Veſtítque tritis pannulis, & *Gallicè* hoc:
Alit cibo parvo & malo, ídque *Gallicè*:
Labore multo exercet, atque hoc *Gallicè*:
Pugníſque crebrò pulſat, ídque *Gallicè.*

In

In cœtu, & in via, & foro, & frequentiâ,
Rixatur objurgátque ſemper *Gallicè*.
Quid? *Gallicè* illud? imò ſemi-*gallicè*.
Sermonem enim (ni fallor) ille *Gallicum*
Tam callet omnem, quàm *Latinum* Pſittacus.
Creſcit tamen, ſibíque nimirum placet,
Verbis tribus ſi quid loquatur *Gallicis*:
Aut *Gallicis* ſi quid nequit vocabulis,
Conatur id, verbis licèt non *Gallicis*,
Sonóque ſaltem perſonare *Gallico*,
Palato hiante, acutulo quodam ſono,
Et fœminæ inſtar garrientis molliter,
Sed ore pleno, tanquam id impleant fabæ:
Balbutiens videlicet ſuaviter,
Preſſis quibuſdam literis, *Galli* quibus
Ineptientes abſtinent, nihil ſecùs
Quàm vulpe gallus, rupibúſque navita.
Sic ergò linguam ille & *Latinam Gallicè*,
Et *Gallicè* linguam ſonat *Britannicam*,
Et *Gallicè* linguam refert *Lombardicam*,
Et *Gallicè* linguam refert *Hiſpanicam*,
Et *Gallicè* linguam ſonat *Germanicam*,
Et *Gallicè* omnem, præter unam *Gallicam*;
Nam *Gallicam* ſolam ſonat *Britannicè*.
At quiſquis inſulâ fatus *Britannicâ*,
Faſtidiat ſic patriam inſolens ſuam,
Ut more ſimiæ laboret fingere
Et æmulari *Gallicas* ineptias,
Ex amne *Gallo* ego hunc opinor ebrium.
Ergò ex *Britanno* ut *Gallus* eſſe nititur,
Sic dii jubete fiat ex gallo capus.

CVM AMICO QVODAM

Importunius ad pocula invitante

EXPOSTVLATIO VERECVNDA.

TE juvat immodicè cyathos deplere *Falerni*,
Méque cupis tecum læto indulgere furori.
Scilicet; ista tamen nobis malè viscera torquent,
Perniciémque trahunt & ineluctabile fatum,
Haud aliter quàm si diro permista veneno.
Tu forsan gaudes unctos saltare per utres,
Ut populo ludos præstes; uter ipse videri
Vel fortasse cupis distentâ pelle renidens:
At mihi tormentum par est, cogente tyranno
Extendisse pedes lecto, potúque minorem
Distendisse cutem, & *Batavis* tortoribus uri.
Mus olim liquidis acceptus ab hospite rana,
Acceptus quamvis lautè, periisset in undis:
Sic tu, chare, tuum cyathis urgere sodalem
Desine jam monitus, nec falso munere perdas.
Quòd si fortè mei nullâ ratione moveris,
Sed socio caruisse grave est, tuáque impiger urges
Gaudia, sint nostræ quamvis inimica saluti:
Non sic te præstas (quem te profiteris) amicum;
Nec speres me velle meæ momenta salutis
Prodigere, insanóque tuo postponere ludo.

At

At tibi si cordi est nostrum ridere pudorem ;
Nolo tuum ludum nostris languoribus emptum ;
Nolo tuum crimen nostrâ constare ruinâ.

Interea te nè perdas ; lætaberis olim
Non intellectis abstinuisse malis.

FINIS.

Addenda, Alteranda, Corrigenda.

Pag. 67. v. 23. lege *ego hic*
p. 80. v. 6. l. *viz*
p. 128. post v. 13. exciderunt hi duo,
Jámque bebes, & crasso non asper sanguine mucro
Percussum Sævæ frangit, non vulnerat hostem.
quorum tamen hunc extritum à *Lucano* censet *Grotius*, 14to in ejus locum substituto, ergóque omittendum.
p. 152. v. 15. l. *pellus*
p. 186. v. 11. l. *secreto*——*igne*
Ibid. v. 15. l. *revolvi* & v. 19. *Non me*——
p. 187. v. 20. l. *Sed melius*——
p. 199. ver. 2. l. *fefeli*
p. 207. v. 15. l. *Pumáque*——